DE SACRA POESI
HEBRÆORUM
PRÆLECTIONES ACADEMICÆ

OXONII HABITÆ

ROBERTO LOWTH, A. M.

OLIM COLLEGII NOVI SOCIO, ET POETICÆ PUBLICO PRÆLECTORE;

DEMUM EPISCOPO LONDINENSI.

Subjicitur

METRICÆ HARIANÆ BREVIS CONFUTATIO,

ET

ORATIO CREWIANA:

NECNON

JOANNIS DAVIDIS MICHAELIS

NOTÆ ET EPIMETRA.

VOL. II.

OXONII,

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.

MDCCCX.

PRÆFATIO

TOMO PRIMO PRÆLECTIONUM PRÆMISSA

IN EDITIONE GOETTINGENSI.

LECTORIBUS BENEVOLIS

S. D.

JOANNES DAVID MICHAELIS.

EO plausu in Germania exceptæ sunt Roberti Lowthi Prælectiones de poesi sacra Hebræorum, ut opus haud habeam facti mei rationes reddere, qui librum apud nos rarum, multo auctiorem et tamen multo minore pretio parabilem futurum, typis denuo describi curo. Quod enim alias secus evenire solet, id hic accidit, ut libri peregrini editor ejusdem sit fueritque parcissimus laudator. Sententiam, pro rei publicæ eruditorum libertate lectoribus omnibus permissam, in relationibus de libris novis [a] dixi: neque meæ me religionis in judicando pœnitet, licet non sine aliqua voluptate intelligam, plerosque impensius virum laudâsse, nec fere quidquam in eo desiderâsse,

[a] Fascic. X. p. 317—337.

ut mea laude aut commendatione, jam quidem ſuſpecta futura, facile carere poſſit. Repetam tamen, quæ ſentio.

Poetam de poeſi Hebræorum dicere, ſtatim intelligent lectores, ingenio præſtantem, quod elegantiſſimis Græcorum Latinorumque literis excoluerat. Rarum hoc et exoptatum munus Hebraicis carminibus contigit: aliter enim poetas vates tractabit, aliter merus grammaticus. Hic quidem ſcholiis illos onerabit, ſingulas mirabìtur potius quam perſentiſcet veneres, pulchras phraſes laudabit, ac ſæpe laudabit, quæ nemini ſuæ gentis placeant, ideo quod inſolita ſunt, legibus tamen artis, quas ipſe rogavit, conſentanea; talia etiam nonnulla, de quibus poeta nunquam cogitaverat, ſuarum legum amore illi tribuet; quid in noſtris imitari linguis poſſimus, quid privum ſit exteris, obtuſius videbit: artifici denique ſimillis erit, qui minimarum partium artificium et pulchritudinem æſtimans, univerſas non complectitur, nec confuſa illa imagine, quæ alios admiratione et voluptate percellit, delectari ſolet. Quod quidem optimis etiam, et meliore ingenio natis accidere grammaticis videmus: nec mirum. Ea enim eſt adfectuum et delectationis natura, ut fortius nos afficiant, quæ quomodo afficiant ignoramus: contra, ubi cauſſas voluptatis argutius novimus atque ad illas attendimus, hebeſcat tanquam guſtus noſter, atque etiam aliqua, pulchris ſimillima, nec tamen pulchra, confundimus, ſolum etiam artificium admirantes. Unde et raro contingit, ut qui in grammatica habitant, magni poetæ ſint aut maneant: nimis enim ſæpe legum pulchritudinis poeticæ et artificii recordantur, quam ut furore illo diviniore, non interrupto, ferri poſſint.

Sui enim ſibi conſcius quis furat? quis non ſit magis ſanus, quam eſſe debent, qui in Helicone bacchantur? At a poeta, quem natura talem finxit, exigas ſpereſque, quod a grammatico, maxime ab illo qui Judaicorum librorum conſuetudine aliquid contagii Rabbinici ingenio contraxit, ne optare quidem audeas: nempe, ut vivo ſenſu univerſæ pulchritudinis adfectus, voluptatis ſuæ quodammodo participes ſociosque faciat lectores, idem illud pulchrum non ratione ſed ſenſu aliquo intelligens, quod in omnium linguarum poeſi excellentia ingenia in ſui rapit amorem et admirationem; acutius contra videat, quæ apud exteros pulchra, in noſtra tamen poeſi aut diſplicent, aut nova ſunt, ut ſive excuſatione opus habere, ſive ob ipſam inſolentiam magis mirabilia ac divina futura videantur. Quam quidem ſpem Lowthus, linguæ Hebraicæ peritior quam plerique eſſe poetæ ſolent, poeticæque facultatis adjumento melior interpres carminum Hebraicorum, minime deſtituit, ſed effecit, ut et noſtri homines, a literis Orientalibus remoti, voluptatem percipere ex peregrino illo concentu, et tanquam orientalem aliquem Orphea mirari et ſectari poſſint. Idem, qui ſit proprius Hebraici carminis color et ſanguis, ita oſtendit, ut nemo antea: licet non omnia nobis nova et inſolentia exiſtimem, quæ ipſe ſoli Orienti tribuit. Fueritne etiam patriæ poeſis amore perculſus, neſcio: quæ quidem illi utiliſſima eſſe potuiſſet. Dubitari enim nequit, quin noſtræ linguæ poemate fortius afficiamur. Græca forte et Latina impenſius laudabimus, mirabimur etiam elegantius, tum quia inſolentiora ſunt his, quæ cum lacte bibimus, tum quod eorum artificium diſtinctius perſpicimus, denique quod vitia poetæ (qui-

bus nemo caret) in lingua mortua non intelligimus, certe auribus ea non percipimus: erit tamen in illa omni admiratione paulo minus naturæ, plus artis et ſcholæ, at domeſtica legentes magis eoſdem perſentiſcemus impetus, qui poetæ pectus pertentaverant.

Deſiderari tamen in hoc ipſo viro nonnulla jure poſſe, exiſtimo. Quo non refero, quod eos non excerpſit, qui ante ipſum ſcripſerunt, neque eorum hiſtoriam aliquam literariam concinnavit: quis enim poetam, id non pollicitum, ac multo dantem præſtantiora, ad hoc detrudat ergaſtulum? nec quod parum hiſtorici de carminibus Hebræorum habet, ſoli pene eorum ingenio intentus; illam enim partem tractandam non ſuſcepit, licet lectoribus perjucundam futuram, nec ea viro erat reliquarum Orientis linguarum cognitio, ea Arabicorum ac Syriacorum poetarum conſuetudo, ut bene ſuſcipere potuiſſe videatur. Verum id ipſum deſidero, quod vix dum indicavi: earum linguarum, ſine quibus Hebraica ultra mediocritatem intelligi nequeunt, penitiorem cognitionem. Hinc fit, ut Hebraica nonnunquam minus recte explicet, ubi pulcherrimos ſenſus fundunt: novas præter neceſſitatem moliatur lectiones, ſive textus, ſive vocalium: carminaque Hebraica cum Græcis quidem et Latinis, nunquam cum illis conferat, quibus ut cœlo et lingua, ita ingenio, conjunctiſſima ſunt, Arabicis. Quos defectus non ideo indico, quaſi eos ſupplendos recipiam, id enim facturo liber ſcribendus, non notæ, ſed ut candide cum lectoribus agere, nec diſſimulare quidquam exiſtimer.

Nolui autem, pro noſtræ ætatis conſuetudine, Germanice verſas has Prælectiones prodire, ſed quales ſunt, Latinas: cujus conſilii rationes expediam. Primo

ſumtus in Germanicam verſionem impendendi, pretium libri incenſuri erant. Deinde hos ipſos ſumtus inutiles exiſtimabam: qui enim rivi fonte præſtantiores? quis etiam vel optimus interpres non interdum dormitat? quis vero melius ipſo Lowtho, Latina lingua commodiſſime et ornatiſſime utente, quæ ille Latine commentatus erat, alia lingua exponere ſuſcipiat? Non ignorabam, in hac linguæ Latinæ ſtrage et pene interitu, multos ſolis Latinis (ut olim Græcis) ductibus ac literis a libro emendo deterreri, omnibus legere cupientibus, quæ ſola intelligunt, vernacula: quod quidem malum ita jam manifeſtum eſt, ut vel bibliopolæ a libris Latinis abhorreant. Ita tamen intelligebam: paucos ex his, qui compendiaria contenti ſunt et meritoria eruditione, (**Brodtbringende Gelehrſamkeit**, eam ipſi vocare non dedignantur) Lowthum lecturos: ignorata enim, nec unquam deguſtata poeſi Hebraica, quem ſibi propoſitum habent finem aſſequi, orationibuſque qualibuſcunque habitis victum ſibi, conjugi cariſſimæ, liberis parare poſſunt; nullam ergo horum rationem habendam eſſe: contra ex eruditis, eo nomine dignis, paucos fore, qui libro in ſuo genere unico carere velint: quod ſi accedant aliqua eorum, quæ Lowthus omiſerat, forte et exteros Latino libro emtores allici poſſe. Deinde videbam, eximia poemata Latina, quibus Hebraica Lowthus imitatus eſt, nec ultimam nec ſecundam, laudem operis eſſe: eam autem omnem in Germanica interpretatione perituram, niſi poeta inſignis, idemque Hebraicarum literarum peritus, huic oneri ſuccederet. Quod quidem omnino deſperabam: ut enim taceam, raros eſſe, qui poeticam facultatem cum Hebraicis conjunxerunt, nimis moleſtum illud onus

eſt, nimis difficile, illo tempore, quo chartas typotheta poſcet, afflatum diviniorem polliceri, ſine quo nomen poetæ et honor ſalvus tibi eſſe nequit. Sed fac, ſimilem Lowthi aliquem interpretationem ſuſcepiſſe, plurimum tamen Lowthiani decoris periturum erat, tum quia difficilius eſt, carmina aliena interpretari verſu, quam ſua fundere: deinde, quod ille, quem dixi, impetus, cujus omnes in poeſi partes ſunt, voluntati poetarum non paret, nec horis ſe atque laboribus typographorum adſtringi patitur. Si quid etiam cœleſtis auræ in verſione futurum fuiſſet, interpretis libere per avia Heliconis vagaturi, ac novum, non Lowthianum, futurum erat: quod facile dabunt, quibus unquam ſuo Apolline pectus tumuit.

Vitam Lowthi narrare nec neceſſe eſt, nec poſſum: id unum novi, ante biennium [b] fato functum eſſe. Plura dabo, ſi plura ex Britannia reſcivero antequam tomi ſecundi editio finita ſit. Quæ meo ſuaſu denuo deſcribuntur prælectiones, eas Oxonii, quaternas niſi fallor ſingulis annis, in auditorio publico habuit. Inſtituti rationem lectores et ex Prælectione prima et ex Crewiana Oratione intelligent. Secundæ me intereſſe vertente anno 1741 memini: quando autem finierit argumentum, neſcio. Edidit univerſas ex typographeo, quod Oxonii eſt, Clarendoniano, anno 1753, forma multo ſplendidiore, literis majoribus et pulchrioribus: ſed hæc ornamenta omnia, me (fateor) auctore et ſuaſore, imitari noluit bibliopola, cujus ſumtu, et literis, hæc nova editio facta eſt; ut minoris conſtaret, pluribuſque prodeſſet liber, ſua jam ſponte, quibuſcunque deſcriptus literis, ſatis ornatus.

[b] Vide Præfationem Tomo Secundo Editionis Goettingenſis præmiſſam.

Qua re factum est, ut prior hic tomus, in editione veteris Oxonienfi in litera X, fchedæ fubfcripta, definens, licet notis meis et epimetro valde auctus, fchedam litera Y infignem non impleat.

Hæc quidem mea a Lowthianis facile dignofcentur: notæ ex linea fupra illas ducta, partim etiam ex titulo lineæ fubjecto, *notæ editoris*, epimetron autem prælectioni nonæ fubjunctum, ex titulo. In his quid præftiterim, non meum eft arbitrari: præftare quid allaborârim, indicatu non opus. Id vero profiteri neceffe eft, nihil mihi cum emendandis fchedis textus Lowthiani, lapfibufque typographicis fuiffe: quod omne bibliopola, et ipfe linguæ Latinæ non imperitus, bonufque et curiofus operarum typographei caftigator, præftandum recepit. De cujus quidem, eorumque quibus id negotium commifit, diligentia optime fpero: fi quid tamen mendorum oculos eorum fugerit, a me ejus peccati rationes exigi nolim. Tomo fecundo, qui jam typis defcribitur, quid de meis additurus fim, (habebit quippe, præter notas, plures commentationes) ne dum mihi quidem prorfus ftatutum et exploratum eft. Id unum: curabo ne meorum multitudine liber oneretur, pretiumve ejus augeatur.

Quid profit de poefi Hebraica fcriptus liber? fi quis nimis anxie quærat, vereor, ne ad meritorios, quos fupra dixi, eruditos, aut ad imperitos, ablegandus videatur. Vix enim quidquam eft in omni literarum elegantia, quod elaboratum perfectius, non præter delectationem infignem etiam utilitatem afferat. Fortaffe tamen nec illis lectoribus, a quibus hoc libro edito gratiam inire cupio, injucundum erit, fi de ejus utilitate quid fentiam expofuero.

Ac primo quidem existimem, caussæ Dei et religionis interesse, ut recte et vere de poesi Hebraica sentiatur. Non is sum, qui ex verborum elegantia, poeticaque divinitate dictionis propriam et veram divinitatem literis sacris, ut Corano olim suo ex inimitabili poematis pulchritudine Muhammedes, asserere audeam. Fecerunt id ex defensoribus religionis aliqui, non a me nominandi, quia id post factam Muhammedis mentionem vix sine invidia fieri potest. Aliter omnino sentiebat Paulus[c]: cujus auctoritate tutus, lubricum hoc totum argumentorum et defensionis genus mihi videri, libere profiteor. Quis enim mortalium ita metiri aliorum ingenia mortalium, (quorum hucusque mensura nulla mathesisque reperta est) possit, ut, quid vere divinum in poesi sit, vimque humanam superet, ab humana facultate discernat? Quis neget, suum cuique scriptori a Spiritu Sancto ingenium relictum, ut cum nihil habeat Jobi poema simile, secundus ab illo Moses sit, tertius, sed longo intervallo, David; non tamen desint, qui nullo dictionis cultu aut sublimitate commendentur. Objici etiam, non dicam, toti argumentationis generi, sed tamen his, qui ita argumentantur, potest: varios esse sensus hominum, non eadem omnibus pulchra aut sublimia videri; neque ipsos earum rerum satis peritos spectatosque haberi judices.

Ne laboraturam quidem Dei caussam putem, si mediocria essent, aut humilia, universa poemata sacra. Est et sua humilibus laus, inque concitandis ipsa simplicitate adfectibus, præstantia. Præterea in divinæ voluntatis interprete, cui, ut manum literarumque

[c] 1 Cor. ii.

ductus, ita suum ingenium dictionisque colorem reliquit Deus, ut indelebili nota vera ejus scripta a spuriis dignosci possint, non elegantia spectatur, non admirabilitas, non delectatio quæritur, sed integra sententiarum veritas, erroris nihil, nihil humani admixtum habens. Nullo cultu superbit Judicum liber: sed non ideo non divinus. Nihil Ezra inornatius, ut mirer, quo erroris portento Mosaica illi scripta tribui potuerint: (quamquam non est, quod mirer, cum facinus simillimum ausus sit Harduinus) sed nemo eo crimine ex prophetarum numero eximendum Ezram censuerit. Eleganter et Mosaice si scripsisset, Mosis libros dignoscere ab Ezræ stilo non possemus.

Quid ergo, inquias, rei sacræ refert, qualia sint carmina Hebraica, utrum pulchra, quibusque nihil humanum ingenium enixum est majus et perfectius, an deformia, tumida, ridicula, plebeia? Multum vero! Plerique enim ex hostibus sacrorum, non simpliciter inscientia eo deveniunt argumentorumve fallacia victi, sed alii peccandi libidine tales exstitere, alii contemtu eorum qui divini feruntur librorum, et adfectatione sapientiæ non vulgaris. Cum ergo videant, rideri libros sacros et exsibilari ab aliis, aut malis, aut ignaris, multaque in illis, quales lingua nostra leguntur, non posse non displicere, pudet divinos habere: et quia pudet, argumenta contra eos libros conquirunt, quibus ipsi sibi satisfaciunt, ad ea non attendunt, quæ contra dici possent, nec dubitatione vere philosophica, sed risu et joco et cupiditate rem unam omnium gravissimam conficiunt. Quibus consuli forte possit, si penitius illis pulchritudo poeseos biblicæ spectanda præbeatur. Ipsi enim sibi non possent non omni contemtu digni videri, si de

antiquiſſimis exemplaribus, poſt tot annorum millia, modo intelligantur, claſſicis, et in quibus humanum certe ingenium, quid magni et ornati efficere poſſit, periclitatum videtur, tam leviter et proterve judicent, eaque non audita ſpernant. At hic male rem agere ſolent theologi, non ſcientiæ culpa, ſed quia paucis, ut inter reliquos mortales, ita et ex theologicis, contigit, ingenio poetico naſci. Poeticam enim pulchritudinem licet omnes ſentiant, qui linguam poetæ callent, pauci tamen de ea recte et acute judicant, ac fere hi ſoli, qui ipſi a natura poetæ ſunt: non critici, non grammatici. Quod ita verum eſt, ut vel qui florente ætate poetæ fuerunt, cum ſeneſcentes, ſenſim reſidente illo divino impetu, ex poetis critici fiunt, multo quidem deliberatius, ſed et multo obtuſius, de aliorum poematis judicent, vituperanda multa admirentur, laudabilem audaciam ac divinam vituperent, verbo dicam, ſenes de poematis pulchritudine ita ſententiam ferant, ut de virginum delectu filiis præcipere ſolent. Paucis id contingere theologis poteſt, ut nati ad poeſin, eandem facultatem optimorum exemplarium lectione, et exercitatione felici, excoluerint et perfecerint: ac plerique ne grammatici quidem ſatis ſunt, ſed remoti ab omni elegantia Græcorum Latinorumque, aliiſque ſtudiis diſtenti, Hebraicæ linguæ perquam modice periti, Arabicæ, cujus in poeſi Orientali primæ partes ſunt, ignari. Et hi tamen, (ſi quando in hanc Scyllam incidunt) poematum ſacrorum divinitatem ac ſublimitatem laudare, id vero eſt, ſani et ſicci bacchari audent: felices tamen, ſi nihil Rabbinicæ eruditionis admiſcent. Singulas ergo phraſes mirantur: exclamant, pulchra eſſe, quæ ex noſtris nemo in ſuis carminibus ita legi velit: prave lau-

dando efficiunt, ut contemtiora quam erant, veneranda hæc antiquitatis monumenta videantur. Perpetua enim peregrinitatis excusatione opus habent, ad quæ illi stupent, ut æquum lectorem miseratio subeat, iniquum risus pertentet.

Plus etiam interpreti sacrarum literarum penitior poesis Hebraicæ cognitio præstabit. Mirum videri possit, cum magna pars codicis Hebraici omnium confessione poetica habeatur, (carmina dico in libris prosa scriptis passim servata, Psalmos, Jobi lamentabile ac divinum carmen, Salomonis proverbia, Canticum Canticorum, et Threnos Jeremiæ) vaticinia præterea prophetarum pleraque multo rectius ad poesin, quam ad solutam orationem referantur: ad interpretationem veteris testamenti plerumque accedere homines, non dicam poeticæ facultatis expertes, (quis enim tam sit ferreus, ut his poetarum interpretationem neget, licet in ea multo melius versaturus videatur, qui ipse poeta est) sed qui nulla unquam literarum elegantia, nulla postquam ex ephebis egressi sunt poetarum Græcorum, Latinorum, patriorum consuetudine ingenium severius exhilarârunt: aliquos etiam eorum tam esse impudentes, ut rem unam omnium difficillimam adgrediantur, (quippe quæ præter magnam philologiæ cognitionem, multamque exercitationem interpretandi, et elegantiæ omnis literarum diuturnum usum et cognitionem, accuratiorem ac severiorem, quam plerique putant, philosophiæ peritiam poscit,) leges ut condant hermeneuticas, earumque institutiones scribant. Hoc tamen cum illi audeant, necesse est, id accidere, quod fieri quotidie videmus: leges interpretandi ab imperitis rogari, quæ forte in exsangui aliquo metaphysici hominis scripto expli-

cando valere possint, non in pulchro poemate: easdem leges ab imperitiore turba, quam suo hi exemplo suis præceptis formant, edisci, ac pene pro divinis haberi: ad illas provocari, ubi philologiæ et bonarum literarum expertes destinatum habent, sacro codici aliquam obtrudere sententiam: ex verbis, phrasi, imaginibus poeticis, nimis proprie sumptis, exsculpi mysteria ab alio, eorum cupido quæ intelligere nequeat, futuros eventus a curioso, ab hæretico et fanatico errores gravissimos: audacter hæc omnia proprietate significationis defendi: si quis poetas, ut par est, explicet, dubitari, possitne idem in verbo Dei fieri, quod in aliis poetis quotidie facere solemus: quasi vero divinum sit, omni ornatu et audacia poema carere, nec iidem alibi insignem poesis Orientalis insolentiam, in figuris audaciam, sublimitatem, etiam in majus augeant. Qua quidem arte efficiunt, ut nullis legibus, nulli sensui ex bonorum poetarum lectione nato, parcat interpretatio carminum Hebraicorum, sed mero ipsorum arbitrio et cupiditati: sitque sibi ipsa dissimillima, prout illis placet, sive insolentiam figurarum Orientalium, sive siccam aliquam et exsanguem proprietatem, quæ sola Deum oracula fundentem deceat, jactare. Proderit his fortasse, Lowthum legisse, atque ab illo gustu aliquo poesis Hebrææ imbui: quod tamen ita dictum nolim, ut Lowthi liber interpreti sufficiat, nunquam probabili futuro, nisi ipse se poetarum lectione ad intelligendos poetas formet, sed ut non parum adferat et adjumenti, et ad alios poetas legendos cumque sacris comparandos incitamenti.

Fortasse etiam stilus ecclesiasticus orationum sacrarum et precum, tumoris minus habiturus erat, plus

ſanæ rationis, poeſi Hebraica paulo melius intellecta. Locutionibus et dicendi genere codicis ſacri eccleſiaſtæ delectantur: non male illi, modo proſa oratione loquentes, aut preces fundentes, quas nulla verborum jactantia decet, non poemata Hebraica, ſed proſam orationem ſcripturæ ſacræ imitarentur. Non credo hic peccaturos, qui meminerint, poemata eſſe, phraſeſque poeticas: ægre etiam laturos exiſtimo, ſi quis in precibus orationibuſve ſacris poetam patrium ſublimiorem, aut Latinum, Græcumve imitetur. Moleſtius autem peccatur, ſi ea imitamur, quæ poeſi Hebraicæ priva ac propria ſunt; ut paralleliſmum duorum hemiſtichiorum, de quo noſter in Prælectione XIX. pulcherrime egit: qui vel in carmine vernaculo intolerabilis foret, ac tautologiæ moleſtiſſimæ nomine notaretur. Et tamen video, multos tunc demum ſibi pulchros videri, ſi preces publicas ad hunc modum mere Orientalem conforment, aureſque perpetuis repetitionibus, Orienti jucundis, Europæ inviſis, lædant, prudentioribus ſtomachaturis, dormitaturis reliquis. Nec tamen antiphonias noſtras aut litanias hic carpere videri velim, ſed proſas preces, ab uno fuſas oratore ſacro. Illæ, ſi vel metro careant, ſunt tamen quodammodo ob muſicam modulationem poeticæ: nec quidquam eſt peregrini auribuſve moleſti, in duorum chororum antiphonia, ſed in unius precantis tautologia.

Nec vero ad ſolos pertinet theologos Lowthi liber: nemo illum, qui literarum elegantia atque etiam vernacula poeſi delectatur, a ſuis alienum exiſtimare ſtudiis debet. In ſolo enim non omnia ad hanc ſunt ingenio, ſed ſi natura faveat, accedatque multarum rerum ſcientia, cui ornamenta ſua poetæ debent, arſ-

que et induſtria, luxuriem et vitia carminis depaſcens, optimorum exemplorum varietate perfici ſolet: quæ varietas quo major eſt, eo magis ſuus, nec imitator aliiſque addictus, poeta videbitur, imaginumque novitate, copia, ac tanquam ſilva delectabit. Nihil enim aut mediocrius in poeſi aut moleſtius, quam eadem ornamenta nimis ſæpe redire, uſu crebriore vileſcentia, quæ ſi conſtet unde habeas, omnem pene poeticæ facultatis laudem deſperare debeas, aſſeclis adnumeratus. Nec pauca ſunt in poeſi Orientali, (quo nomine Hebraicam jam et Arabicam complector: de Syriaca enim dicere nihil attinet) nova nobis, noſtriſque, et Homericis non audaciora, ac ſine dubio placitura, ſi illi tentent, quos ingenium non deſtituit. Ita quæ natales Græcis Latiniſque debet, incrementa ſuperioris ſeculi et hujus noſtri excellentibus poetis domeſticis, nova decora Britannorum lectioni et imitationi (licet, libere fateamur, jam pene nimiæ, et qualem antea reprehendebam) nova lumina, et tanquam

ignes
Sidonii rubrique maris

ab Oriente petere poſſet poeſis Germanica: cui rei nonnihil in notis adferre adjumenti ſtudui, paſſim diſputans, minus Orientalem poeſin a noſtra diſtare, quam vulgo putant aut alterutrius aut utriuſque imperiti. Minus hoc noſtro tempore παράδοξον videbitur, cum paſſim per Germaniam celebrentur, quos poeſin Orientalem imitari credunt: ab ea licet alieniſſimi, et qui nævos plerumque verſionis patriæ, in quibus ob inſolentiam ſtupent, expreſſerunt. Quod ſi ſecus accideret, mirarer: cum videam ad hoc genus

imitationis accedere qui Orientalia nunquam legerunt, certe ea non expedite intelligunt.

Hæc de Lowthi libro. Sed videtur, antequam præfari desinam, magnus et pervulgatus error, quam in notis aliquoties attigi, ex animis lectorum, si qui eodem tenentur, eximendus. Laudari poesin Hebræorum audiunt, ac cœlo, unde delapsa est, æquari; statim ergo non suspicantur, sed confidunt, eandem gentem et eloquentiæ laude floruisse, optantes, ut Lowthus de poesi ita alium de eloquentia Hebræorum agere. Quas quidem voces frequenter audias, maxime ubi Jesaiam admirantur, quo majorem et fervidiorem oratorem nasci posse, sunt qui negent. Quæ Jesaiæ laudes si in peritos rerum arbitros incidant, non possunt non literis Hebraicis notam haud levem adspergere: valde enim rudem, ipsiusque nominis eloquentiæ ignarum oportet esse, cui Jesaias ut orator placere possit: quem si quis orator imitaretur, a plurimis non intelligeretur, tumidus haberetur a doctoribus, ac facile ei accidere posset, quod de Græco poeta narrat Cicero, omnibus, quibus carmen recitabat, dilabentibus, solum Platonem remansisse. Sufficiebat hic unus auditor poetæ, plures habituro lectores: oratori autem ignominiosius nihil evenire potuisset. Magno enim, ut in nota secunda monui, utrumque elegantiæ genus intervallo distat: poema breve, ac raptim audientibus subobscurum, nisi valde aut attenti aut docti sint; oratio copiosior, atque ita intellectu plana et facilis, ut vel oscitantes ad audiendum erigat, atque ab indoctis percipiatur: hæc modesta, affectu plena, sed qui initio premi fere ac dissimulari solet, sensimque ei frena laxari incensis jam auditorum animis, ita tamen, ut semper sanus videri

orator auditoribus cupiat: in illo divinior furor et audacior placet, atque recte ut mediocres ac frigidos,

arcet ſanos Helicone poetas

Horatius: hæc ſolitis utitur verbis imaginibuſque, eoque eloquentior eſt, quo magis unicuique ex corona inter audiendum videtur, eadem ſe iiſdem pene verbis dicturum fuiſſe, atque vix poſſe aliter dici; illud inſolentia ac novitate geſtit, languidum ſi uſitata habeat, ſinguliſque ejus ornamentis non parum jam decoris periit, ſi quis antea occupavit.

Mirum videri poſſit, res tam diverſas a pleriſque confundi, eruditis etiam, niſi jam dudum (quod pene ſuſpicor) eloquentiam nullam habentes mali hujus facultatis arbitri eſſemus. Eſt illa, ut deinceps monebo, liberarum civitatum filia, ſero partu procreari ſolita, ubi in cultis omni doctrina gentibus viri prudentes ad literarum elegantiam informati de re publica non breves dicunt ſententias, ſed in majore ſive ſenatus ſive populi corona pandunt oratione et prolixius ſuadent; et Athenis et Romæ libera republica florens, cumque illa extincta: quam noſtro tempore vix extra Britanniam Succiamque ſperes. Qualis in Succia ſit, neſcio; nullas enim in comitiis habitas orationes legere mihi contigit: Britannos quidem oratores antiquis æquiparare auſim, quamquam actionem et vocem oratoris in illis deſiderari a nonnullis, Gallis maxime, videam, quod quo jure fiat ignoro. At quid ejuſmodi apud nos eſt orationum, apud quos reipublicæ adminiſtrandæ prudentia ex mutis artibus eſt? Quid incitamenti habemus, quid exercitationis, quæ præmia eloquentiæ? Quibus om-

nibus deſtituti eone nobis ingenio eſſe videmur, ut in umbra, nulla ſeria exercitatione, eam aſſequamur facultatem, quam Græci ſibi et Romani aurea demum linguæ ingeniorumque ætate, multo uſu et exercitatione comparârunt? In ſcholis orationes habemus, ſed pueri, nec ut ſuadeamus permoveamuſque, ſed ut quodammodo probemur. Non diſſimulabo, ab his, qui ſcientias profitentur, in academiis nonnunquam orationes haberi, quando munus auſpicantur: nec quæram, quales hi ſint, unde pleriſque eorum ſubito contingat, cui nunquam ſtuduerunt, eloquentia, quibus verbis dicant, qua actione, qui, poſtquam ex ludo egreſſi erant, non dixerunt, neque deinceps dicturi ſunt, hac una perfuncti fatali oratione? Id unum moneo, ejuſmodi pleroſque legere argumentum, in quo vel perfectus orator, Demoſthenes aut Cicero, non futurus orator ſit: protritum alios ac pervulgatum, abſtruſum qui doctiores ſunt, quod commentationis indiget, non orationis: quod quidem ita perorant, ut movere animos et concitare affectus, (in qua re dominatur orator) propoſitum illis minime ſit, ſed ſive legibus academiæ ſatisfacere, ſive, ſi magna ſperare audent, delectare ac laudari. Quod quidem citra invidiam profiteri poſſe mihi videor, qui ipſe tales pro more orationes et habui, et prelo permiſi.

Opponi ſacros mihi oratores video, qui de rebus graviſſimis et veriſſimis verba facientes, acerrimos animorum motus concitare ſtudent. Nec obnitor, quin poſſit hic aliquis eſſe locus, incognitus Græcis et Romanis, eloquentiæ novo generi, eo nobilioris, quo minus fuco indiget, nihilque habet non ſinceri: exiſtimem tamen, plerumque eos, quos oratores ſacros dicimus, doctores potius et præceptores et eſſe,

et debere eſſe, ſimiliores philoſophis, quos diſtincte et ornate de ſua ſcientia diſſerere vult Cicero, eloquentes fore et oratores vix ſperans. Mirum ergo, ſi tanta nos naſcimur ingenii felicitate, ut in quo genere veteres, maximis civilis eloquentiæ exemplis inſtituti et ad imitandum abrepti, eniti non potuerunt, in eo nos eloquentiæ rudimenta ponimus, ad eamque formamur. Vereor etiam, ne reprehendendi ſint plerique ex concionatoribus ſacris, ſi verorum oratorum ſimiles eſſe velint: cum ruſticis enim, et infima plebe, et aniculis, qui ita agere cupit, ut doceat et moveat, ſubmittere ad illorum captum orationem debet; laudabimus in illo plebeia quædam et verba et ſententias, quæ in vero oratore, cultius poſcente auditorium, diſplicebunt. Sunt et aliæ difficultates maximæ, contra quas univerſas quenquam eo uſque eniti poſſe, ut verus, Athenarum Romæque antiquæ ſenſu, orator fiat, deſperem. Ipſa rei ſanctitas paulo ſedatiorem, quam orator eſſe debet, noſtrum poſcit divinioris philoſophiæ præceptorem: de rebus idem tam notis agit atque quotidianis, ut defutura orationi videatur varietas, erectas aures tenens, niſi eruditius interdum et abſtruſius, quam oratoris eſt, diſſerat, atque cognitionem adultorum ac τελείων ſententiis argumentiſque ditet. Adde vincula illa, quibus fere noſtri oratores conſtringuntur, in quibus nec Demoſthenes nec Cicero orator futurus erat: leges dico orationum ſacrarum, ex moribus ortas, ut ſemper aliquod præmittendum exordium ſit, licet nihil faciat ad erigendos auditorum animos, qui cur convenerint, non ignorant, nec præfamine opus habent: ſtatum ſuumque tempus preces habeant, quibus oratio abrumpitur; prælegatur et explicetur oraculum divi-

num; et quæ alia ejuſmodi ſunt: in quibus ipſa moris ſervandi conſtantia varietati obeſt, quam orator ſequi debet. In his tantis difficultatibus ſufficere poſſit eccleſiaſtæ, quod philoſopho diſerto Cicero concedit, unde rectius forte proprio vocabulo et antiquo *homilias*, quam orationes ſacras, dixeris: quod ſi fecerit, admonitiones preceſque paternas aut amicas addens, næ ille ſuo officio non defuiſſe cenſendus erit, licet rem maximam, eloquentiam, ad quam pauci nati ſunt, non tentet. Nec video pleroſque ex illis, qui noſtræ ætati eloquentes habentur, veros oratores eſſe: quorum aliqui, graviſſimos animorum motus concitantes, ideoque hoc nomine digniores, pluſculum tamen plebeii ſunt, quam oratorem decet, debentque eſſe, quia ad plebem dicunt; nullum certe ex illis novi, qui luxuriem et nævos orationis ſcribendo et arte ita caſtigaverit, ut Atticus orator dici queat. Alii perquam ornati ſunt et elegantes, ſed hoc omni cultu, ob quem ſuaviter audiuntur, delectant magis quam movent. Quibus ſæpe accidit, ut valde laudentur ab auditoribus, quos percellere oratione, triſteſque aut iratos dimittere debebant, ſi eloquentes eſſent. Quo quidem nihil alienius eſt a vera eloquentiæ laude. Quis enim, quæſo, Ciceronem habiturus eloquentem erat, ſi ejus actio prima Verrem, hominem ab elegantia literarum remotum, tantopere oblectaſſet, ut reliquis omnibus, quas parabat, orationibus interfuiſſet avide, eaſque pocula inter et delicias valde commendaſſet. Quæ omnia non ita dicta velim, ut negem, oratorem ſacrum, ſolutum vinculis de quibus dixi, Græcis Romaniſque parem fieri aliquando poſſe: ſed ut hactenus nondum exſtitiſſe videatur. Sero fortaſſe florenti literis naſcetur

ecclefiæ: id donec fiat, dumque oratores ex libris lingua peregrina fcriptis tantum novimus, auribus oculifque ufurpavimus nunquam, excufandi videmur, fi prave interdum de eloquentia judicamus. Faceret idem forte de poefi judicans orator, fi poetas lingua ipfius non haberet: quin fecit ante Virgilium Cicero, pravus carminum æftimator.

Sed ut ad rem redeam, mihi quidem nulla omnino eloquentia, (quo vocabulo ita uti exiftimari velim, ut Cicero illud accepit, multum intereffe eloquentiam inter et facundiam ftatuens) Hebræis fuiffe, aut in illa gente fperanda fuiffe videtur. Ut enim hic prætermittam, quod jam fupra attigi atque ex Cicerone mutuum fumfi, rem unam omnium difficillimam eloquentiam effe, nec nifi fero civitatibus oratorem contingere, Græciæ multis poft Homerum feculis contigiffe: vix videtur extra liberam civitatem, florentem diu ac beatam, omnibufque literis ita cultam, ut oratorem comtum etiam et elegantem cives intelligant, oritura eloquentia. Libertas enim ipfi et materiam, in qua verfari queat, profternet, et majus congregabit auditorium, quo et accenditur orator, et fine illo effe omnino nequit, (breviter enim, amici more, regi fuadere, quid faciendum fit, diverfiffimum adhuc a populari eft eloquentia) et coget viros prudentes, patriæque amantes, de republica ita ad cives dicere, ut erudiant omnes ac moveant: erit tamen eorum oratio inornatior, fententiæque fimilior, aut plebeio acumine agreftique comparatione audientiam fibi faciens, nifi omni literarum elegantia civitas floreat, floruеritque diu, quod quidem nifi in beato populo vix fperandum eft. Mollioris enim et

delicatioris vitæ otium ad literarum elegantiam plerumque requiritur: in egeſtate, perpetuoſque inter armorum ſtrepitus pauci erunt, qui literis excolent ingenia, ut, ſi orator naſceretur, auditores tamen, quorum auribus, aſſenſu, vituperatione, faſtidio, laude, admiratione formatur ac perficitur, defuturi ſint. Multum autem temporis requiritur, antequam in hoc ipſo libero, beato, docto populo perfectus orator, imitatione aliorum, æmulatione, uſuque diuturno, qui multa rebus inventis vitia demere ſolet, addere multum novæ pulchritudinis, exſiſtere queat. Deerit diu periodorum conformatio et cura; materiæ perſpicua diſtributio, magis neceſſaria, quo longiores fiunt orationes, ſenſimque a ſententiæ brevitate recedunt; delectus verborum, quorum multa, privato ſermoni non indecora, faſtidire incipiet oratio, peregrina maxime, quibus uti in literis aut familiari colloquio poſſis, at orationi eaſdem attexens lacinias, a quibuſdam non intelligi te ſenties: varietas, exordiorum imprimis, cui ſtudere tum demum opus eſt, cum maxime obvia a multis jam ſunt oratoribus occupata, nimioque uſu faſtidiuntur: actio liberior, oratorem decens; alia denique multa, quæ hic ſingula animus non eſt enumerare. Hæc omnia ſenſim in libero et docto populo addentur oratori: præmiis etiam eloquentiæ majoribus innumeri incitabuntur, ut ad illam contendant, ex quibus pauci, e meliore luto ficti, eloquentes fient.

Ergo ante Moſen in populo Ægyptiis ſerviente nullus omnino locus erat oratori: hoc autem duce, Deique auſpiciis, cum libertatem recuperâſſent, vix poterat illa ipſa, quæ prima libera fuit, ætate hominum, naſci eloquentia. Quamquam ne liberi qui-

dem ſenſu civili dici poſſunt, quibus Deus rex erat, per prophetam omnia gerens, nullæ de re publica, legibuſque ferendis conſultationes aut comitia populi. Ad ſeditionem ubi res vergebat, verbo potius gravi quam oratione meditata caſtigabantur, aut Dei interventu, miraculis, peſtibus, fulminibus, terræ labibus, compeſcebantur. Hæc tamen vere aurea fuit linguæ Hebraicæ ætas, omneſque recentiores et poetæ et hiſtorici hujus gentis, Moſi comparati, jacent: quo in viro natura etiam experta videtur, poſſitne Orienti oratorem dare. Quam enim Judæ ad Joſephum nobis orationem ſervavit, (Geneſ. xliv. 18—34.) in ſumma ſimplicitate ornatuſque omnis neglectu his tamen verbis concepta eſt, ut, qui ita dixit, magiſque qui alius dicta ita retulit, eximius fieri orator potuiſſe videatur, ſi in hac facultate elaborare voluiſſet, nec defuiſſet ei populare auditorium. Quas etiam ſub vitæ exitum orationes Moſes habuit, petens a populo, ut legis poſt ſua fata tenaces eſſent, quo ſpiritu plenæ ſunt! quam in illis agnoſcas disjecti tanquam oratoris membra! at carent adhuc ea periodorum concinnitate, numero, varietate, ea argumentorum diſtributione, ſine qua oratorem et eloquentem illum non dixeris, qui patris more diſerte quidem et graviter hortatur. Quamquam et hic intelligere licet, quid excellens ingenium ad eloquentiam valeat: Moſes enim contra linguæ Hebraicæ conſuetudinem ſola natura duce ad numeroſiores periodos aliquoties pervenit, quæ Græcis auribus, oratori adſuetis, placere potuiſſent.

Longo, quod ejus mortem excipiebat, victoriarum primo, deinde Judicum tempore, libera quidem fuit forma rei publicæ, ſed alia deerant, procreandæ et

educandæ eloquentiæ neceſſaria. Novo in Palæſtina populo, qui novæ patriæ, cœli, agri ingenio perdiſcendo occupatus eſſet, vix ſatis erat temporis et otii, quod literarum elegantiæ daret: mox etiam ſervire hoſtibus coactus, idemtidemque armis libertatem recuperans, inter perpetuas ſervitutum, rebellionum, vaſtationum vices, non poterat ad eloquentiam eniti. Ergo ex illo tempore inſigne quidem habemus epinicion, quo exemplo, ut aliis multis conſtat, facilius poetam perfectum naſci quam oratorem, nec illi calamitatem patriæ et egeſtatem officere: at quæ una supereſt Jothami oratio (Jud. ix. 7—15.) priſci et horridi dicendi moris tenax, reliquiiſque rudis facundiæ Romanæ ita ſimilis eſt, ut ovum ovo. Adſcribere liceat Livii verba, ex quibus intelligetur, aliter Romanas aures de ejuſmodi oratione ſenſiſſe, quam noſtri nonnunquam homines facere ſolent. Sic ergo ille, l. ii. c. 32. *Placuit oratorem ad plebem mitti, Menenium Agrippam, facundum virum, et, quod inde oriundus erat, plebi carum. Is intromiſſus in caſtra priſco illo dicendi et horrido modo, nihil aliud, quam hoc, narrâſſe fertur; tempore, quo in homine, non, ut nunc, omnia in unum conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuerat, indignatas reliquas partes, ſua cura, ſuo labore ac miniſterio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum, nihil aliud, quam datis voluptatibus frui. Conſpirâſſe inde, ne manus ad os cibos ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira, dum ventrem fame domare vellent, ipſa una membra, totumque corpus, ad extremam tabem veniſſe. Inde apparuiſſe, ventris quoque haud ſegne miniſterium eſſe, nec magis ali, quam alere eum, reddentem in omnis corporis partes hunc,*

quo vivimus vigemusque, divisum pariter in venas, maturum confecto cibo sanguinem. Sub regum denique imperio quis exspectabit eloquentiæ natales? Sacri oratores, quos in ecclesia perfectos aliquando exsistere posse non omnino desperavi, nulli olim erant, cum nondum opus esset, sacrum codicem patria lingua scriptum interpretari, sacerdotesque sacrificiis potius quam instituendo populo ministrarent. Prophetæ autem carmine fundebant oracula; aut sententiis potius quam eloquenti oratione crimina publica notabant.

Huic oratorum et eloquentiæ defectui tribuendum existimem, quod periodorum conformatione et artificio universa lingua Hebraica caret [d]: quod ita peculiare Hebræis est, ut Hebraica quantumvis pure et eleganter Græce reddita, barbarum tamen quid Græcis auribus sonent, nisi totus orationis habitus mutetur. Faciamus periculum in versione LXX. virorum, pro Hebraismis, locutionibusque Alexandrinis, verba optima et exquisitissima substituamus: vereor tamen, ut vel tum satis Græca futura sit oratio. Unde qui Græcis probari legique cupiebat, Josepho, alia tenenda ratio, ac licet ex solis se historiam antiquam hausisse sacris literis profiteretur, alio prorsus scribendi genere utendum fuit: nec forte tam ignari rerum Judaicarum fuissent exteri, qui Græce ea in versione Alexandrina habebant, nisi hæc ipsa versionis barbaries, aures Græcas magis etiam quam nostras lædens, a legendo deterruisset. Prolixiores enim periodos, cum concinnitate, et perspicuitate sonoras, earumque miram et numeri et reliquæ distributionis va-

[d] Vide Lowthum p. 167.

numerum, quæ ſatietati non tam legentium quam audientium occurrit, oratoribus debuiſſe Græcia, ejuſque imitatrix, Roma, videtur: cujus concinnitatis ſi multum in Europæas linguas transfuſum eſt, meminerimus, has omnes olim Latina tanquam dicendi ſcribendique magiſtra uti. At Hebraica lingua breves amat periodos, non magna varietate, utpote quæ in tanta particularum egeſtate vix teneri poſſit; numeri aut nullam omnino curam ſuſcipit, aut in poeſi noſtro quidem carmine ſolutiorem, perbrevem tamen et conciſum amat. Scio, quid hic de pauſa Hebraica dicturi ſint grammatici, qui numerum linguæ Hebraicæ laudant, ab eloquentia plerumque remotiſſimi: ſed nolo hanc nimis longam ordiri diſputationem. Erunt, quibus ipſa pauſa ſuſpecta, Maſorethanumque inventum videatur: querentur alii, vel maxime aures lædi, ſi opus ſit, in fine periodi ſonum ac menſuram vocum mutare, iamboſque ex trochæis, trochæos ex iambis facere: aliorum auribus id ipſum moleſtum erit, quod ſæpe pauſa Hebraica ſpectat, ut in ſyllabam tonicam ac longiorem periodus deſinat: mihi quidem hi numeri muſici potius, ac nimis iidem et diſtricti videntur, præcentoribus textuum ſacrorum excogitati, in recitando aures fatigaturi, quia nimis [illegible] recurrunt.

Eſt tamen, in quo defectum eloquentiæ Hebræis gratuleris, illis ſcriptionis vitiis carentibus, quæ apud Græcos et Latinos nimia eloquentiæ admiratio peperit. Horum quippe hiſtorici vel optimi fictas, aut ſupra modum ornatas orationes narrationibus ſuis inſerunt, periodorum ea conformatione, qua nemo pri- [illegible] utitur, nemo ex tempore dicens, eo ſæpe ver-

borum delectu et ornatu, ut a reliquo historici stilo extemporanea oratio ducis, milites hortantis, aut alius magni viri, manu quam verbis promtioris, multum distet. Quo quidem vix quidquam committere ad fidem scriptis suis abrogandam aut labefactandam aptius potuissent. Ut enim quærere non instituam, quis militum illam tam comtam orationem calamo exceperit? difficile creditu est, ab imperatoribus, ne his quidem exceptis, qui diu ante natam eloquentiam bellatorem populum in aciem eduxerunt, tam comtas concinnasque orationes in ipso pugnæ discrimine, cum res manu agenda paucisque verbis opus esset, habitas, aut ab exercitu intellectas esse. Quod si aliqui duces oratores fuerunt, non tamen omnes; neque barbari, quibus etiam orationes tribuuntur. Fidem ergo non faciet, qui hoc fuco utitur, historicus: qua jactura eleganter compôstæ declamationis laudem emere, id vero vix dignum erat eorum virorum persona, quorum ingenium, prudentiam, scribendique artificium suspicimus jure ac miramur. Lectori quidem, quid dixerit imperator, quid de suo, formandæ orationis caussa, addiderit historicus, nullo certo indicio constare potest. Unde etiam sæpe accidit, ut minus, quam possent, tales historici delectent, eoque ipso fructu, quem mendacio elegantiore quæsiverant, destituantur. Pauca enim magni viri verba, non meditata, quibus res maximas administravit, acies inclinatas restituit, cives accendit, repressit seditiones, plurimam habitura animi imaginem, ipsa rescire cupimus: pro quibus qui meditatam dat et calamistratam orationem, sitim nostram non restinguet. Hoc tamen peccatum quam late per Græcos Romanosque scriptores diffusum sit, eadem licentia orationes fin-

gentes, qua ex Gallorum gente recentiores historici ingenia formant, charactereſque, quos dicunt, magnorum virorum, elegantiæ ſtudioſiores quam veritatis, dicere non opus eſt: nec credo omnes, qui morem in hoc gentis ſuæ ſequebantur, fingendi iſta licentia delectatos eſſe, ſed auribus aliquid dediſſe, orationum ſupra modum avidis. At nihil ejuſmodi vitii ab hiſtoricis Hebræorum committi video, qui in narrandis aliorum verbis teſtium pene religionem ſuſcipiunt: ut vel Joſepho, eadem Græce ſcripturo quæ illi Hebraice, opus fuerit, multa confingere ubi verba aliorum refert, ſententiiſque ex tempore dictis Græcæ orationis conformationem, ambitioſioremque ornatum largiri. Quod et nonnunquam auſus eſt, ubi concitatior affectus artem vix ferebat: ut in illa, quam ſupra laudavi, Judæ defenſione, cujus perſpicua et flebilis facundia magis delectat, quam ornatior eloquentia a Græco artifice illi addita. Græcis autem diſplicuiſſet auribus, ſi eam qualis habita erat, non meditatam nec expolitam dediſſet.

Erunt, non nego, quos male habebit, reginam me artium elegantium ipſiuſque rei publicæ, eloquentiam ab Hebræis abjudicare: partim, quod de eloquentia aliter ſentiunt, nec eam a facundia, aut ornate ac diſerte commentandi facultate diſtinguunt; partim, quod in Hebraica lingua omnia eſſe ſumma arbitrantur. Paulo tamen apoſtolo, ſi viveret, non diſpliceret, nec inhonorifica ſacris literis videretur, hæc, quam libere dixi, ſententia, qui ſe Corinthi ne ſtuduiſſe quidem eloquentiæ profitetur, nec tam oratoris, quam doctoris præ ſe fert perſonam, cujus ſimi-

les, id vero eſt æquos meæ opinionis arbitros, lectores mihi expeto. Dabam Goettingæ die 10 Maii, 1758.

NOTÆ

IN PRÆLECTIONEM PRIMAM.

ATQUI ſunt et carmina, quæ tantummodo delectant, nec tamen ideo repudianda, aut damnanda: ut, quæ morum nulla præcepta, nullas numinis virtutiſque laudes, reconditas abſtruſaſque ſententias nullas, ſed res obvias ita omni conveſtiunt dictionis et numerorum ornatu, ut exquiſitius placeant; quæ ſilvas, quæ amœnos fluminum lapſus, tanquam oculis noſtris ſubjiciunt. Horum eadem eſſe ratio poſſit, quæ picturæ elegantioris, cujus major laus eſt ex ſola delectatione, quam aliarum rerum multarum ex utilitate. Quæ ſequuntur, valde probo: nollem tamen prorſus negari, eſſe aliquam poeſin, eamque laudabilem, quæ nullum ſibi finem propoſitum, præter delectationem, habeat; neque id negare omnino voluiſſe auctorem, pagina ejus 16. et 17. docebit. Ad pag. 4. lin. 3.

(2) De Cicerone ſubdubitare liceat, debueritne exercitationi in 19. 6.
ſcribendis carminibus, quod Romanorum factus eſt eloquentiſſimus. Oratorem habitura Roma mediocrem erat, ſi orationes carminibus æquâſſet is, qui

> Antoni gladios poterat contemnere, ſi ſic
> Omnia dixiſſet.

Non exigo a Cicerone Virgilii illud perfectum ante Virgilium carmen, ſed ut aſper et quodammodo inconditus verbis numeriſque, delectet tamen accendatve carmine; quod vel noſtros poetas bonos ſuperioris temporis, quantumvis rudi utantur carmine, facere videmus: utque appareat, non artis fuiſſe ejus poemata, ſed naturæ et fortioris impetus, quem furorem poetarum dicunt.

Atque etiam hoc, ſæpe animo obverſatum, profiteri audeo,

quantumvis ad perficiendam orationem faciat poeſis, vix tamen me ſperare, fore, ut idem perfectus ſit orator, qui magnus et divinus poeta. Sunt enim in utroque dictionis genere aliqua ita diſſita ac contraria, ut qui in hoc elaboraverit, aut ingenio ei aptior ſit, eundem ultra mediocritatem eniti in altero poſſe, vix ſit opinabile. Oratoris maxima laus in perſpicuitate eſt, eaque tanta, ut vel a plebe ſtatim intelligatur: poetam obſcuritas non decet, at non niſi mediocrem vulgus nullo negotio aſſequi poterit. Illum ab uſu loquendi regiaque tanquam et trita via recedere non fas eſt: hunc audacia dicendi, novis tanquam ſemitis libere errans, perficit. Ille, ut ab omnibus intelligatur, prolixior eſſe non poeta ſolum, ſed et aliis ſcriptoribus, debet: hujus in brevitate laus eſt, ut vel carmen circumloquutione enervetur, niſi nova addas ſententiarum verborumque lumina. Hæc mihi cogitanti, et alia multa, ita videtur: hominem ingenio et ſtudio ad poeſin formatum, inque hac arte magnum et admirandum, ſi orator fieri vehementius allaboraret, perfecturum quidem, ut eruditis auditoribus placeat, atque etiam ut plebi nec diſpliceat, et ſatis intelligatur ſtilo orationem juvans; at nunquam ut popularis fiat orator, quem ſtupeat vulgus, quem audire geſtiat, a quo erigatur hæreatque ſuſpenſum, atque in omnes rapiatur affectus: quem autem natura ipſa oratorem eſſe juſſit, plebeium aliquem fieri poetam poſſe, atque accedente ſtudio, et imitatione optimorum exemplorum, probabilem; nunquam magnum ac divinum.

26. 15. (3) Aut nimis oratorem egit, aut incautius Judæos, eorumque ſimiles Chriſtianos, Hebraicorum omnium originem ad Deum referentes, ſequutus eſt noſter, cum magnifica hæc ſcriberet: oblitus et ante ſacra Moſis ac divina carmina Moabitas eximio poemate regis ſui victorias celebrâſſe, quod ipſe nobis Moſes Num. xxi. 27—30. ſervavit, et prophetico Jacobi carmine alia antiquiora fuiſſe, hiſtorica, mediocria plerumque, ſive adeo exilia. Oblitus inquam: ignorâſſe enim cenſendus non eſt, de quibus p. 49, 50. veriſſime dicentem audiemus. Inter ſaltantium choros, non ſemper pios, natam poeſin Hebraicam dixerim, cum motum corporis canticis, hæcque illi accommodarent: cui poeſis origini crebros verſuum paralleliſmos, de quibus nemo melius Lowtho egit, acceptos refero: nec abludunt ab hac ſententia, quæ noſter in Prælectione XIX. habet. Quod ſi ergo non primus Moſes rem inſolitam inſtituit, carmini ſaltationem accommodare, ſequitur, ut diu ante ipſum poeſis fuerit, ruſtica

primum et inculta, deinde ſenſim adoleſcens et ornatior. Nec veriſimile eſt, primum poema Hebraicum perfectum fuiſſe, licet Moſis tempore, quam auream dixeris linguæ Hebraicæ ætatem, excellentia carmina divino impetu fuſa ſint.

(4) Adeo modeſte noſter ac timide in lubrico verſatur argu- 37. n. 11. mento, ut, ſi qua ei neges anomaliæ licentiæque poeticæ exempla, ſummam tamen cauſſæ æquis arbitris facile probet. Meminerimus autem, quas nominibus diſcerpimus, Hebraicam, Phœniciam, Samaritanam, Syriacam, Chaldaicam, Arabicam, Æthiopicam linguam, non totidem linguas eſſe, ſed unius, quam communi nomine Orientalem recte dixeris, propagines ac dialectos. Solent autem, (quod vel Germanica nos cognatæque linguæ docere poſſunt) eadem verba et vocabula, eodem manente ſignificatu, pretio tamen, honore, et uſus frequentia in dialectis differre. Obſcœnum enim huic eſt, aut turpe, aut certe plebeium, ac loquentium potius quam oratorum et ſcriptorum, quod illa optimis ſcriptoribus permittit: rarius hic, et exquiſitius, ac vel ideo, quia inuſitatum, fortius poetiſque proprium, quo illic omnes boni ſcriptores utuntur. Sæpe etiam accidit, ut quod in loquendo commune et plebeium, idem in ſcribendo poeticum habeatur, quia inſolitum quid ac majus ſonat, poſtquam diu ab eo ſcriptores proſaici ſeſe continuerunt. Quo tritior enim vox eſt, eo plus de ejus vi ac gravitate decedit: quamquam et hoc poetæ cavendum, ne frequentior verborum inſolentia artis potius, et quæſitæ elegantiæ, egeſtatis denique verborum propriorum, quam impetus poetici eſſe videatur. Magna etiam in carmine gratia eſt archaiſmi, qui ipſe dictiones peregrinarum dialectorum, noſtræ olim uſitatiores, invehit. Quæ breviter per tranſennam demonſtrâſſe ſufficiat, materiamque indicâſſe, dignam, de qua uberius commententur, qui cum Orientali philologia, aut Græca, vernaculam conjunxerunt.

Videtur certe idem in Orientalis linguæ dialectis obtinuiſſe. Exempli loco ſufficit, quod et noſter habet, חבב, *amare*, non niſi ſemel in ſacro codice obvium, at non Chaldæis ſolum, quos nominat noſter, Syriſque, ſed et Arabibus ita uſitatum, ut illud tanquam proprium et maxime vulgatum ponant, ſi amandi mentio inciderit. Contra Hebræi plerumque אהב dicunt, quod in hac ſignificatione Syriaca et Arabica dialectus non habet.

His exoticis particulas etiam nonnullas annumeraverim, poeticas noſtro viſas, ut ש relativum, rarius in antiquiſſimis He-

braicæ linguæ monumentis, in Chaldaizantibus frequentius, manifesta imitatione exprimens particulam Syrorum præfixam ד pro די, quanquam hæc non, ut vulgo statuunt, ex שׁ et אשׁר Hebraico orta est, sed cum זה conferenda videtur. Verum id hujus loci non est.

De litera paragogica Vau et Jod non erat cur dubitaret, solicitaretque lectionem, sive vir doctus, cujus mentionem noster facit, sive ex criticis alii, suspecta habentes, quorum rationes non bene reddiderunt vulgares grammatici, nec meliorem reddere ipsi queunt. Pronomen est redundans, ut Schultensius in institutionibus linguæ Hebraicæ de Jod optime docuit: idemque de Vau paragogico tenendum. Hujus generis pronomina, sed secundæ personæ, apud Arabes frequenter in omni scriptionis genere abundant, ut vel opus habeant pro, *hic est liber*, dicere, *hic tibi est liber*, similiterque Chaldæi pro Hi ponere solent אֵלָּךְ *hi tibi.* Hebræi contra pleonasmo pronominis primæ aut tertiæ personæ in carminibus adsueverunt, qui si plebeium quid nobis sonat, illuc referendus est, quod supra diximus, plebeia aliqua et poetica congruere.

Jod verbis secundæ personæ fœm. sing. præt. additum, (קטלתי *occidisti*) nec mendum esse videtur, nec poeticum, sed merus Chaldaismus, usitatum quippe Jeremiæ et Ezechieli, qui sub Chaldæis vixerunt, ignotum aliis, qui plus quam hi poetæ sunt. Nempe et Chaldæi Syrique, et Arabes J addunt secundæ fœmininorum, (Katalti) idque et Hebræos antiquitus fecisse, argumento est forma hujus personæ ante pronomina suffixa: omissum autem diu Hebræi restituerunt, usum victoris populi imitantes, cum rerum Chaldæi potirentur.

Nun quod dicunt paragogicum Hebræis quidem perquam usitatum, multo tamen frequentius Arabibus, quorum et grammatici per omnes personas numerosque futuri paragogici exemplum proponunt, suamque illi vim propriam, concinente linguæ usu, subjiciunt. At Hebræi, idem in poetico, rarius in historico scribendi genere imitati, non utuntur tamen paragogico futuro, nisi sequantur suffixa, aut futurum simplex in vocales U et J desinat, nec sua apud illos significatio, a communi forma diversa, paragogico futuro constat. Exoticum ergo quodammodo censendum est, quia Arabiæ frequentius; recte præterea a nostro ad insolentiam sermonis poetici refertur, qui quam illo delectetur disce ex Jes. xxvi. 5, 6.

Sunt et aliæ particulæ poetis frequentiores quam aliis ſcriptoribus, ut אף, ubi expletivum videri poſſit, neglectum etiam priſcorum interpretum quibuſdam, Jeſ. xxvi. 8, 9, 11. בל pro לא aliquoties in eodem capite. Sed horum larga meſſis eſt, aliis relinquenda, nimiſque moleſta, niſi ſenſim aliud agendo tanquam per ſpicilegia colligatur.

Quamquam hæc omnia non efficiunt, ut metrum certis perpetuiſque legibus adſtrictum fuerit Hebræis, ſed ut divinius inſolentiuſque dicendi genus habuerint, poetico noſtro ſimile: ipſe quippe noſter fatetur, anomalias poeticas non eam vim habere, ut in promptu ſint quædam numerorum complementa, ſed ut ſonorum varietas ſatietati occurrat, elocutionique proprius color inducatur. Et tamen in ea eſt ſententia, verum aliquod Hebræis fuiſſe metrum, perpetuis legibus adſtrictum, quod ita perierit, ut jam inveſtigari, revocarique ab inferis nulla arte queat. In quo nos conſentientes non habet. Sed ne aut omne metrum Hebræis negare, aut verbis ſolis diffidere videamur, duplex metri poetici genus diſtinguamus, adſtrictius et liberius, utrumque ab oratorum numero tam diverſum, quam eſt ſaltatio ab ambulatione. Adſtrictius dicimus, in quo ſyllabarum pedumque menſura per totum carmen eadem decurrit, eoſdem numeros habentibus verſibus, ut in Græcis, Latinis, vernaculis. Hoc nos Hebræis negamus: concedimus autem liberum, verſus habens cum brevitate ſonoros, muſicis poeticiſque pedibus conſtantes, qui tibiæ ſaltationibuſque facile accommodentur, ut cantando atque a ſaltantibus recitati perfectum carmen videri potuerint. Non diſſimile illud ſingulis odarum Horatianarum tetraſtichis, varios pedes tanquam confundentibus: at integrarum odarum neutiquam ſimile, per quas iidem identidem ad certam legem numeri redeunt: aut ſi ad vernaculi carminis rationem referas, conferendum quodammodo noſtro, inæquales verſus habenti, quod recitativum dicimus, niſi quod hoc unius modo generis pedes, iambos plerumque admittit, cum liberius quod dicimus metrum numeros poeticos nullos excludat. Hoc autem liberius metrum, non ſolum oratorum numerum, qui et rotundior poetico eſſe ſolet, in carminibus Hebræorum dominari, recte verborum illa inſolentia, oſque poeticum, grande quid et divinum ſonans, efficit: quorum utrumque in oratore nec laudari nec ferri poteſt. In quo ſæpe miratus ſum eorum errorem, qui Jeſaiam, totum illum poeticum, res etiam ita

miſcentem, inque medias rapientem, ut talis orator ferri non poſſit, poeta divinus ſit, perfectum oratorem faciunt.

Non ignoro quidem, eſſe, qui illam verborum inſolentiam, ac diviniorem furorem, oratione nihil metri habente, quam poema proſaicum dicunt, imitentur: meis tamen mihi auribus animique ſenſibus ſi fidere licet, nihil carmina illa proſa delectationis habent, artis aliquid, tumoris ingrati permultum; ac ne tam bene quidem cum illis agi ſolet, ut disjecti membra poetæ, qualia in verſione proſa carminis, agnoſcas, ſed ejus, qui poeta haberi cupiebat. Non in eoſdem me adfectus rapi perſentiſco, quos proſum carmen exprimere ſtudet, quibus ſolis illa ſe inſolentia et audacia verborum tueri poteſt: unde dum is, qui ſe poetam dicit, furere videtur, vel potius furere velle, ego langueo, ſurdo Ciceroniano non abſimilis, qui oratorem videbat, non audiebat. Proſum ergo ejuſmodi poema ut excellentia Jobi, Moſis, Davidis carmina habeam, quorum divino adflatu ipſe inter legendum adficior, non adducar. Quæ autem ſit ratio metri Hebraici, noſtro liberioris, inque arbitrio et impetu poetarum ſiti, melius faciliuſque dici poſt Prælectionem XIX. poterit, in qua magis quam hic noſtrum habebimus Lowthum.

26. (5) Concedenda alia Lowtho arbitrer, alia neganda. Dandum cenſeo, dabuntque omnes, elegantiam ac vitam Hebraicæ appellationis poſt tot ſecula nec ſperari nec tentari poſſe: quæ enim illam perficiunt varia ac prope infinita, mollities et aſperitates literarum, ac vocalium tanquam media, ſemitoniis muſicorum non diſſimilia, feſtinationes et moræ minutiores his, quæ ſyllabam brevem longamque faciunt, alia denique permulta, ſcribendo exprimi nequeunt. Ac ne quidem a dialectis cognatis peti fas eſt, ut vitam, ſuamque ſuavitatem appellationi Hebraicorum verborum reddant: ſolent enim dialecti a dialectis appellatione maxime diſtare, ut putidum huic ſit, quod illi conſuetum aut dulce. Verum id nihil ad metrum; neque hujus elegantiæ jactura periiſſe ſpem metri Hebraici inveniendi ſtatuit auctor.

Ultro etiam offero, moneoque, quod ne petit quidem: puncta vocalia, ſi ad illas exigantur leges, quas aliqui fingunt, omni omnino metro linguam Hebraicam ineptam facere. Quod ſi enim æqualia ſunt omnium ſyllabarum tempora, quod volunt, qui tres moras cuivis ſyllabæ tribuunt, id eſt, ſi ſyllabæ omnes ſive ob vocalem longam ſive ob poſitionem longæ exiſtimantur, neque ſunt

præterea ſyllabæ breviores, nec Scheva mobile vocalis breviſſimæ loco haberi licet: deſperandum non modo omne metrum erit, in lingua cujus omnia elementa perfecte ſunt æqualia, ſed et numerus orationis, atque adeo illa varietas, quæ vel in colloquiis erectos nos tenet, ſomnoſque fugat, excludetur.

At manifeſto hæ leges, in Germania notiores quam in Britannia, vitio latæ ſunt: quidquid autem ex illis hactenus verum eſt, ut punctorum quæ nunc ſunt juſtam rationem reddat, non ad antiquam Hebræorum appellationem modumque ſyllabarum, ſed ad grammatica Maſoretharum placita referendum exiſtimem. De utroque pauca: nec enim hic locus eſt, ſcrinia, uberiori grammaticæ Hebraicæ deſtinata, effundendi, nec auſim diſputationem, quam totam vellem jucundam ac poetici leporis plenam eſſe, his ſpinis impedire. Primo enim, ut taceam, crebris anomaliis, quarum ſatis pro arbitrio ratio redditur, obrui leges, quæ cuivis ſyllabæ tria tempora definiunt, ipſiſque auribus judicibus cauſſa cadere, qui dicat, לְבַר non plus temporis requirere quam בַּר, cum audiamus omnino, eo tempore quo ב effertur, non et ל appellari, ſed ante ב: ipſi accentus, hac certe in lite maximam habituri auctoritatem, novæ legi refragantur. Ex horum norma ſunt ſyllabæ aliquæ, quibus vulgares grammatici tria ſua tempora largiuntur, adeo breves, ut earum nulla ratio habeatur, ו præfixum in ſyllaba ſimplice, et ſyllaba compoſita ex Scheva conciſo orta, (e. c. עַם in יַעַמְדוּ) contra Scheva mobile in media voce pro ſyllaba plena numeratur, cui ne unicum quidem tempus grammatici, contra quos diſputo, concedunt: ut וּמֶלֶךְ juſto brevior vox, laborantem dicunt phraſi Arabica, exiſtimetur, contra מְלָכָה ſat longa, ſive, ut aiunt, ſana. Sunt permulta ejuſmodi, ſed quæ, quia minuta et ingrata ſunt, hic non excerpo. Eſt vero dubitationis expers, qui punctorum vocalium rationem redditurum ſe profitetur, accentus non negligere, nec illis recentiores natales, de quibus inter Cappellos Buxtorfioſque diſputatum eſt, objicere debere.* Quæ enim cunque eorum ætas ſit, dubio tamen caret, diſcrimen vocalium Maſorethicarum longarum et brevium recentius accentibus eſſe: non raro enim ab accentibus pendet, longane an brevis vocalis ponenda ſit. Obliviosi ſunt diſputatores, qui vocales cum Buxtorfiis, tanquam antiquas et divinas venerantes, contra accentus cum Cappellis faciunt, ut ſuos de vocalibus er-

rores tueantur. Nec ſoli accentus jubent, Scheva mobile pro vocali haberi, ſed et ejus loco Arabes veram vocalem ponere ſolent, ut Katalu pro Katlu, et qui literis Græcis Latiniſque Hebraicas voces ſcripſerunt, LXX. tres Græci, Origenes, Hieronymus, alii, Græcam pro illo Latinamve vocalem habent.

Tota porro illa vocalium longarum breviumque ratio, qualem Maſorethæ inſtruxerunt, ſuſpecta mihi videtur. Sumit id, quod ab omnium aliarum linguarum uſu abhorret, auribuſque eſt moleſtiſſimum, æqualia ſyllabarum, niſi quid intercedat, tempora eſſe debere. Nec reliquarum dialectorum Orientis conſenſu ſeſe tueri poteſt: hæ enim illud diſcrimen longarum vocalium breviumque, quod Maſorethis placuit, ut vocalis ſimplicis ſyllabæ longa ſit, brevis compoſitæ, omnino ignorant: contra, quod vero magis conſentaneum eſt, Arabibus illæ vocales ſolæ longæ habentur, poſt quas ſequitur ſono proprio deſtituta litera אוי, quas Hebræorum grammatici, quia abjici nequeunt, invariabiles dicunt: reliquæ omnes breves. Ut ergo quid ſentiam expromam, tantum abſuerunt veteres Hebræi ab illa Maſoretharum diligentia, quæ ſingularum vocalium quantitatem duplicata earum figura exprimit, ut tres modo vocales cum Arabibus Syriſque haberent, quarum rarus uſus, ubi ambiguitas orationis eas expoſceret. Pro his deinceps Syri quinque vocalibus uti a Græcis didicerunt ſeculo octavo (vide Aſſemani Biblioth. Orient. T. i. pag. 64, 477, 478.) Judæi autem vii Græcorum vocales multiplicatis punctis imitari cœperunt. Quorum exemplo cum diſcerent, tempus vocali debitum figura diſtingui poſſe, ut eſt grammaticorum genus nimis diligens, otio in induſtriam verſo, ix vel x vocales excogitârunt, ut poſſent pro lubitu brevi vel longa uti. Quas quidem breviter dictas, exque hiſtoria linguarum Orientalium decerptas ſententias argumentis confirmare non hic vacat: atque etiam vereor, ne aliarum rerum cupidis lectoribus hæc jam copia diſpliceat. Sed ignoſcent, ſi æqui haberi volunt, neceſſitati: qui enim poteſt recte de poeſi ſtatui, omiſſa omni de proſodia quæſtione?

Quod ſi ergo hæc, quæ manifeſto laborare vitio videntur, demas, ſyllabamque tonicam producas, non inepta metro erit lingua Hebraica in reliquis, quæ erroris convinci non poſſunt, punctis Maſoretharum attemperata. Nec deeſt carminibus Hebraicis ad hanc legem recitatis ſua ſuavitas ſoni, rhythmuſque, liberior quidem, ſed tamen talis, ut ſaltantium choris moderari potuerit; qui ipſi poetici numeri non ſpernendo indicio ſunt, non penitus

veram appellationem Hebraicam intercidiſſe, ſed (modeſte loquar) magnam ejus partem in punctis, quæ nimis aliqui contemnunt, ſupereſſe. Hanc numerorum ſuavitatem poeticoſque modos ſi minus perſenſit noſter, adcuſanda fortaſſe propria Anglis vocum Hebraicarum appellatio, noſtra plerumque multo deterior, quam ab Hiſpaniæ Judæis, Hieroſolymitanam originem profitentibus, Germanoſque et Polonos Judæos ceu Galilæam turbam, (nec abludit dialectus) aſpernantibus, acceptam et tralatitiam ſervavimus. At multi ex Britannis in Hebraicis idem, quod in Latinis, faciunt, ita omnia ad ſuæ linguæ modum detorquentes, ut exteris non intelligantur: quod ſi et auctor fecit, non potuerunt non Hebraica punctis Maſorethicis inſtructa paulo magis, quam erant, videri incondita. Equidem illam de genuina appellatione Hebraica quæſtionem nondum ſatis tractatam, ac ne eatenus quidem perpurgatam, ut ſemper numerus ſyllabarum ac quantitas definiri poſſit, largior auctori: veteres tamen, qui Hebraica Græce et Latine ſcripſerunt, cum punctis conferens, ac ſi diſcrepent, ad cognatas dialectos, ſuperſtitem maxime Arabicam, tanquam ad arbitros confugiens, in multis nihil eſſe dubii deprehendo, ſed concinere puncta cum veteribus Græcis Latiniſque, in diſſenſu paulo ſæpius Origenem et Hieronymum, quam puncta, erraſſe: tantum autem veræ et antiquæ appellationis ſupereſſe, ut, ſi quod metrum certum integriſque odis perpetuum fuiſſet, non ubivis latere poſſet, licet nos ſæpe fugiat. Id vero, quod nullibi a diligentiſſimis viris inveniri potuit, non fuiſſe arbitrer. Sed immenſa eſt materia, non tractanda, ſed ſubindicanda lectoribus, ſi quos non tædet iiſdem veſtigiis grammaticas has perſequi minutias.

(6) Vide notam 8 Prælectioni ſequenti ſubjiciendam. 40. n. 17.

(7) Recte hæc ab auctore dici, nec in media ſententia ver- 41. 17.
ſus Hebraici finem faciendum, argumento ſunt alphabetica carmina.

(8) Ab etymi inveſtigatione, et comparatione ſignificationum, 45. n. 30.
qua carere hæc diſputatio poterat, felicius nonnunquam auctor ſeſe continuiſſet. Quæ ſupra de מזמור habet, conjecturæ locum merentur: at nec certa et explorata ſunt, nec meliora conſueta derivatione a *canendo*. At de verbo משל perquam adferuntur improbabilia, quod, ſolis perexiguis reliquiis Hebraicæ linguæ uſus, tentavit rem difficillimam in philologia, quæ omnes veteris linguæ copias requirebat. Meliora et limpidiora prodiderat Schul-

tensius, quo duce, vel lingua potius Arabica viam monstrante, משל primo est *premere*, deinde et *dominio premere*, seu dominari, et *exprimere* similitudine: unde et nos usitatissimam Arabum phrasin, sed in qua aliqui hæserunt, exponere solemus, ضرب مثلا, proprie, *percussit similitudinem*, tanquam ictu eam exprimens, ut in moneta fit, quam et cudere Arabicum ضرب, *percussit*, significat; id vero deinde est, proposuit similitudinem, simili rem illustravit. Illud autem scitu dignius, nec prætermissum Lowtho, sed tamen paulo dicendum distinctius, nominis משל duplicem in poesi vim esse, quæque de ejus usu collegit exempla auctor, atque his quæ addi possunt, in duo significatus dispescenda esse. Jam enim omnia in universum carmina ob figuratum dicendi genus משלים vocantur, prophetica, epinicia, lugubria, invectiva, ut Num. xxi. 27. xxiii. xxiv. Ps. xlix. 5. Jes. xiv. 4. ac præterea Habac. ii. 6. forte etiam Ezech. xvi. 44: jam ab aliis carminibus distinctum, atque etiam cantico (שיר) oppositum, breve quoddam versuum genus, mediocre, ad morum disciplinam sapientiamque pertinens, Pythagoreis simillimum sententiis, designat, 1 Reg. v. 12. Prov. i. 1. de quo Prælectione XXIV. agitur.

חידה idem supra laudatus Schultensius ad Job xvi. 20. rectius *paræmiam, orationem flexam* exponit, ab Arabico חוד *deflectere, per ambages ducere*, ut opus non sit illa, ad quam perfugiunt plerique, permutatione literarum, qua quid verbum חור significaverit, ex alio verbo חדר efficitur. Id unum addam, et hujus nominis duplicem significationem solicite distinguendam esse: jam enim ab ambagibus, et intricato dictionis, ænigma est; jam omne in universum carmen a vulgari sermonis proprietate ac tanquam rectitudine deflectens: Habac. ii. 6. Ps. xlix. 5. lxxviii. 3. Sic Latini prosam orationem tanquam prorsam, seu rectam dixerunt, *quod eam non inflexerit cantilena*. Verba sunt Donati. Cæterum quæ hic obiter de חידה *ænigmate* habet noster, monent nos, aliquid de ænigmate poetico Hebræorum addendum esse.

Notum est vel ex Salomonis historia ænigmatum studium honosque apud veteres, ut vel reges, ingenti mulcta statuta, illi certare non dedignarentur. Cujusmodi obscura et Salomoni proposuisse Arabiæ felicis reginam legimus, 1 Reg. x. 1. et Salomonem inter Hiramumque Tyri regem reciprocata ingeniorum certamina, conducto etiam ab Hiramo qui ænigmata Salomonis solveret homine ingenioso, Menander et Dius, Tyriorum historici,

retulerunt. Verba non exscribo, legenda in Josephi libro viii. Ant. c. 5. §. 3. nec Ægyptiorum Æthiopumque certamina, aliaque Ægyptia et Græca colligo, de quibus rectius consulueris JABLONSKII *Pantheon Ægypt.* §. 48. prolegomenorum. Videntur autem illa ænigmatum certamina ad Muhammedis usque ætatem in Arabia durâsse, quo refero versum 35 capitis XXV Corani: *non proponent tibi similitudinem, cujus non tibi demus veritatem, explicationemque optimam:* i. e. nullo te tentabunt ænigmate, quin tibi Deus ejus solutionem suppeditet.

Videntur ænigmata non raro versibus proposita fuisse, ut musicam suavitatem verborumque elegantiam sententiarum acumini miscerent: ad quæ carmine respondendum erat, nisi inferior haberi velles. Cujus moris exemplum in Simsonis habemus historia, Judic. xiv. 14, 18. Nec enim prosum ænigma est, sed, vel ipso sonoro parallelismo membrorum indicante, et concinente Lowtho p. 185, 186. poeticum: *ex voraci egrediebatur cibus, et ex sævo egrediebatur dulce:* neque ad illud simplici oratione respondent Philistæi, mel intelligi ex cadavere leonis sumptum, sed verbis idem tanquam tripudium poeticum habentibus, conformationem eandem utriusque membri cum brevitate sonori:

מה מתוק מדבש
ומה עז מארי

Melle dulcius quid est?
Sævius quid est leone?

Ejusdem indolis ænigma poeticum, sed sublimius, proponi videtur Jes. xxi. 12.

(9) Fuit hæc HILLERI conjectura, conferentis Cohel. xii. 4. 47. n. 11.
Quo autem illam, sive denuo inventam, sive acceptam ab Hillero, confirmat argumento Lowthus, id parum momenti facit. Filii enim Zerachi, 1 Paral. ii. 6. non sunt filii proprie sic dicti, sed posteri: qui enim viri, Davidi et Salomoni coævi, patrem habere proximum verumque potuissent Zerachum, Judæ patriarchæ filium, qui diu ante Mosen vixit? Et vel sic tamen tenebit noster, sapientes illos, fuisse poetas: duorum enim ex illis, Hemanis et Ethanis carmina, Davidis odis mixta legimus.

(10) Forte sententioso stilo conceptæ ejusmodi leges, morum 49. 12.
primo et æquitatis præcepta fuerunt, ac temporis demum tractu in judiciis auctoritatem adepta sunt. Talia sunt permulta in antiquissimo jure Germanico, proverbiis vim juris habentibus: idem-

que de prifco Suecico jure ejus Confulti me docent. Ipfe Mofes nonnunquam ita fententiofus et argutus in fumma legum brevitate, ut proverbiis, tralatitium jus continentibus, pro legibus ufus videatur: cujus rei exemplum Exod. xxiii. 5. inveniri reor. Proverbii enim potius quam feveritatis forenfis eft illa oppofitio עזב לו et עזב עמו, quorum alterum eft, fuccumbentem afinum deferere dominoque relinquere; alterum, tua omnia relinquere, ut cum domino fuccumbenti afino opem feras. Propius abeft a Turdetanorum more, fed recens, quod anno 1748. leges Sueciæ carmine conveftitæ prodierunt, titulo: *Sweriges nya Lag, helt och hållen på Swenſk Alexandriſk vers ſatt.*

49. 15. (11) Nobis quidem poft magnas Germaniæ mutationes, coloniafque ex ea deductas, antiqua patrum carmina hiftorica non fuperfunt: at felicior hac parte Scandinavia et Iflandia laudes heroum et antiquiffimarum rerum memoriam carminibus in hunc ufque diem fervatis debet. Peregrina hæc et noftra, et Borealia Hebræis: docent tamen ingenium mortalium fui per omnem terrarum orbem fimile effe, citiufque natura duce ad invenienda carmina rerum memoriam fervatura, quam ad fcriptionem, delabi. At domefticum pene eft, quod de Arabibus Pocockius habet p. 163. *Nov. Edit.* fpeciminis hiftoriæ Arabum: *quod farta tecta ſervaretur lingua tam late patens ſine literarum præſidiis, poëſi ſuæ debuiſſe videtur. Inter cæteras poëſeos laudes hoc ejus beneficium enumerant, ſcilicet quod et linguæ Arabicæ conſervatio, et ſermonis proprietas et elegantia, ei debeatur. Hoc eſt, quod dicit Ebn Phares, referente Jallaloddivo in libro Mezhar c. 29: eſſe poemata Arabibus commentariorum vice, quorum beneficio imperturbatæ ſervabantur genealogiarum ſeries, ne oblivioni traderentur res geſtæ memoria digna cavebatur, et e quibus linguæ peritia hauriebatur. Cui geminum, quod a Mohammede Ebn Salam, referente eodem, dictum: fuerunt poemata Arabibus olim ἐγκυκλοπαιδείας pandectæ, ultimus ſapientiæ eorum terminus, unde quæ illis uſui depromebant, et quo omnia deferebant.*

50. 5. (12) Adde, quod minus mutationi obnoxium carmen, metro tam fido cuftode veritatis hiftoricæ, ut quæ fimplici oratione narrata in dies augentur, mutantur, corrumpuntur, in poemate per multa fecula eadem et invariata maneant, ne obfoletis quidem verbis mutatis. Nec enim ftudio fed cafu mentitur vulgus, nec ita ingeniofum in mentiendo ut confentientia metro interpolatorum fit.

50. 15. (13) Occafionem conjecturis fingendique licentia investig[illegible]

ausi Judæi, id unum effecerunt, ut verba Lamechi obscuriora quam sunt haberentur aliis, qui nugas Judaicas concoquere non poterant. Mihi non multum obscuritatis in Hebraicis esse, et licet nomen occisi ignorem, id tamen liquere videtur, cædem a Lamecho commissam esse. Cædem, inquam, non cædes: quidquid enim Judæi aliique de duplici cæde, viri altera, altera juvenis, fingunt, inscitiæ debetur Hebraici poematis, easdem sententias cum parallelismo aliquo utriusque membri repetentis, de quo noster in Prælectione XIX. præclare egit: nec est, cur virum a juvene distinguant, qui Adam et Sillam non diversas faciunt ab uxoribus Lamechi, distichon illud legentes, *Ada et Silla audite vocem meam, uxores Lamechi auscultate eloquium meum.* Cædem ergo commiserat Lamechus: facti illum pœnitebat, sed impunitatem sibi, Caini exemplo, sperabat: eaque spe mœstas uxores, vitæ mariti timentes, solabatur. Nec tamen eas carmine, quod ridiculum, allocutus est, sed proso ac familiari sermone: cujus sententias numeris adstrinxit historia, ut identidem a saltantium choris repetitæ ad æternam superessent rei memoriam. Est ergo hæc carminis historici particula, noti Israelitis, quod quo pertineat, et quem Lamechum loquentem faciat, Moses docet, nempe non Sethitam Noachi patrem, sed hunc ex Caini posteris: q. d. *Lamech autem hic, Caino ortus, illa dixit, quæ ex antiquo carmine nostis: Ada et Silla &c.*

Multa ex ejusmodi monumentis poeticis hausisse Mosen, indicio sunt disjectorum tanquam carminum membra, a reliquæ orationis mediocritate abhorrentia. Tale est, quod Genes. iii. 24. Cherubos ante paradisum collocatos memorat: quo nomine non angelos, sed equos tonantes, quales et Græcorum Latinorumque poetæ fingunt, intelligo. Rationes cur ita sentiam in commen... tione de Cherubis dixi. (Vide Commentarios Societatis Regiæ ...tiarum Gottingensis T. i. p. 175 seqq.) Sunt autem sine ...o poetica: *collocavit ante hortum equos tonantes, et flammam ...lii ancipitem, ad servandum arborem vitæ:* id vero est, ...brarum tempestatum et quotidianorum fulminum metu homi... ex illo tractu fugavit, in quo paradisus erat, ne fructu ar... vitæ vesceretur. Carmine Latino imitari in commentariis ...m. Scient. Gotting. ita audebam:

Fulminis hic telum omnipotens, currumque tonantem
Constituit, scelus æstuum rutilante coercens
Flamma: mortales facinum ne invadere pomum

Aufi immortales fierent, feliciaque effent
Crimine furta novo.

Hiftorici etiam carminis particulam effe fufpicor, quam Mofes Genef. x. 9. citat, *tyrannus venatione coram domino.* Proverbium enim fuiffe vix puto, non modo quod nullum ejufmodi proverbii veftigium occurrit, fed et quia in multos dici non potuit, cum perpauci a venatione ad tyrannidem progrediantur. Eft autem proverbiorum proprium, ut non rariffimos cafus, fed quotidiana complectantur. Nempe גבור non fortem modo virum fignificat, fed et violentum, prædonem, oppreffорем, qui jura negat fibi nata, nihil non arrogat armis. Sic Doegum, ne fortem quidem illum, fed delatorem et fanguinis cupidum, David גבור vocat, vocabulo ad ignominiam traducto, Pf. lii. 3. et Arabibus جَبَّار *prædo* et *homicida* eft. Lege Muhammedem Sur. xxvi. 130. *cum deprehenditis viatores, prehenditis illos* جَبَّارِين *tanquam latrones:* et Sur. xxviii. 18. Ifraelita Mofi, *vifne,* inquit, *me occidere, ô Mofes, ut heri aliquem occidifti? Vifne* جبّار *violentus fieri in terra, an vero ex probis?* Erit ergo גבור ציר, *violentus venatione,* qui, venator cum effet, volentiæ ufu et fanguine fefe imbuit, aque domandis feris ad hominum tanquam venationem progreffus, fortiorque jam et formidolofior, coacta fervorum vi, qui eum horrebant, tyrannidem invafit. Talis Nimrod, cui aliquem in aliquo carmine hiftorico, Ifraelitis noto, his verbis comparari putem, *ut Nimrod, tyrannus venatione:* quæ ex media oratione decerpta effe nemo non videt. Hæc ergo ex hiftoria explicat Mofes, docetque ad quem referenda fint. Sed plura ejufmodi colligere jam non vacat. Mirum, eum qui nuper fontes hiftoriæ Mofaicæ inveftigare aufus eft, (infcriptio libri, *Conjectures fur les mémoires originaux, dont il paroit que Moïfe s'eft fervi pour former le livre de la Genefe*) nihil de carminibus hiftoricis habere: fed de hac omiffione, aliifque, quefti fumus in relationibus de libris novis Fafc. xi. p. 173.

53. n. 2. (14) Faciliora et expeditiora hæc fiunt, fi duplicem diftinxeris nominis משל fignificatum: alterum latius patentem, quo omne carmen ob figuratam orationem defignat, alterum generi cuidam poematis, quod cantico opponitur, proprium. Vide notam 8. Ipfe nofter pagina fequenti duplicem vim vocis intellexit, a cujus fententia hactenus alieni fumus, quod non duas fpecies carminis,

ſed genus univerſum, et unam ſpeciem משל dici putamus. Quæ ſi cui minuta videntur, mittat. Non bene vero hoc loco LXX. αἰνιγματιστὰς verterunt, licet poſſit aliquando משל *(ſimilitudo)* et pro ænigmate poni, quos ſi Auguſtinus explicabat ut potuit, facile patri, Hebraicæ eruditionis laudem non habenti, condonandum eſt, ſi rem acu non tetigit.

(15) Plaudo his, et quæ ſequuntur, poeſeos Hebrææ inventio- 53. 13.
nem humano tribuentibus ingenio, non eam totam conſecrantibus ac divinam facientibus. Rectius ergo ſenſit Lowthus, quam ſupra pag. 26, 27. ſentire videri poterat.

(16) Poſſis addere, ex quibus imagines poeticæ deſumuntur, 64. 11.
Vitia Virtuteſque, quæ forte moribus non complexus auctor eſt, et Fabulas. De quibus ſi quid omnino addidero, ero tamen parcus: adjecturus forte in fine libri commentationem meam de ingenio poeſeos Orientalis, Latine verſam, ex qua exempla peti poterunt.

(17) Egregie obſervatum, cujus ope ad propinquam ſenten- 67. 22.
tiam, ab auctore diſtincte non explicatam, delabemur, ſimulque nimiæ inſolentiæ et audaciæ crimen, poetis Orientalium objectum, ſi non totum refellemus, minuere tamen et tanquam diluere conabimur, unum in locum colligentes, quæ ſuperiora capita legentibus in animum venerunt. Nec vero probare ſuſcipimus, majorem optimorum poetarum Orientis audaciam non eſſe, quam optimorum ex noſtris: difficilis enim ejuſmodi rerum comparatio, quarum certa menſura non conſtat: non turgidos aliquos Arabum poetas laudabimus, qui antiquiores imitati, naturamque, et ingenium eorum quos admirabantur, arte ſuperare laborantes, tumidi potius quam ſublimes facti ſunt: (quod quidem cujus populi poetis non accidit? quæ gens eſt, cui aurea tantummodo poetarum proles obtigerit, argentea nulla?) non denique tumorem excuſabimus, qui poſt flexum et declinationem bonarum apud Arabes literarum, nimia poetici ſermonis imitatione, elegantiæ ſtudio nimio, hiſtorias etiam et epiſtolas invaſit. De eo ſolo cum lectoribus Orientalium literarum non imperitis anquiremus, ſintne [illegible] Hebræorum Arabumque carmina tam audacia et grandiloqua, tam a frigidiore tanquam ſenſu Europæ abhorrentia, ut videantur nonnullis, non indoctis ſolum, ſed et orientalium linguarum peritis, quibus forte aut ingenium poeticum deſuerit, (aliud enim eſt, grammaticum eſſe, quam poetam) aut noſtri ſermonis peritia, aut facultas, diverſas linguas inter ſe comparandi.

Eſt et proſæ orationi ſua per omnes populos tanquam lingua metaphorica, certis comparationibus frequentius utens, ut illi loco tanquam propriæ fiant, in duplex genus diſpertienda. Sunt enim comparationes aliæ oratoribus, et ſcriptoribus qui ingenii laudem quærunt, propriæ, non tam tritæ, ut vulgares haberi poſſint, animoſque adficere aut elegantes videri deſierint, nec tamen ita novæ, ut ſive inventionis laudem mereantur, rapiantque in admirationem, ſive inſolentiæ excuſatione opus habeant. Contra aliæ omnium in ore verſantur, quibus nimio uſu plus indies perit gravitatis venerisque, ſive quod minus delectant conſueta, ſive quod uſitatis animum non ſatis attendimus ad ſimilitudines rerum intelligendas, unde ſit, ut nonnunquam ſimplicem modo percipiamus nudamque ſententiam, neglecto metaphoræ ornatu. Accidere etiam poteſt his plebeiis comparationibus, ut frequentia uſus tropicæ ſignificationes vocabulis inducantur, detrita jam omni comparationis et figuræ elegantia, cujus nec audientes recordantur, nec loquentes, ſed ſoli grammatici, ſcholiaſtæ, et lexicographi. Quod ubi factum eſt, non jam ad noſtram comparationum linguam referenda ſunt, ſed ad communem.

Metaphoricæ ergo hujus linguæ, et tanquam hieroglyphicæ, (cum ſacra enim Ægyptiorum lingua commode comparaveris, de qua præclare egit Jablonſkius in prolegomenis Panthei Ægypt. §. lvii. ſeqq.) triplex genus teneamus, poeticum, oratorium, et plebeium: pro diverſitate autem linguarum eandem comparationem alius apud alios populos generis ac tanquam ordinis eſſe. Sic Horatianus ille *ignis cineri ſuppoſitus* Latinis poeticum jam aliquid et elegantius ſonat: nobis apta quidem ſed tamen plebeia eſt comparatio. **Das Feuer glimmet unter der Aſche,** quotidiano proverbio dicimus.

Proſaica autem duo illa comparationum genera cum ſua faciunt poetæ, multo ſolent gerere ſe audacius ac tanquam jactare, quam in ſuis: ſuntque inſolentiores etiam in plebeiis, quam in oratorum figuris. Cum enim poetarum ſit, ultra tritas dicendi loquendique vias evagari, ac novitate gravitati addita percellere, non ſatis placent plebeiæ hæ atque oratoriæ elegantiæ, niſi novum decus illis addatur: ſuntque jam eo audaciores, quod alios ſimile quid proſo ſermone tentâſſe vident, unde et evenit, ut poetæ et brevius et inſolentius eadem ſimilitudine utentes, intelligantur tamen, nec fiant obſcuri. Hoc ergo cum in aliis metaphoris orientales poetæ faciunt quam noſtri, audaciores, quam ſunt, nobis

[illegible]ntur, non recordatis, idem a nostris poetis in aliis metaphoris committi, in quibus usu quotidiano ita jam occalluimus, ut minus novitati orationis timeamus.

Idem in metaphorica poetarum lingua accidit, sive in metaphoris, quas oratorum vitæque communis usus refugit, contra non poeta aliquis aliquando carmini ornando adhibuit, sed lingua poetica tanquam suas et consuetas ponit. Ut est enim in tota poesi maxima vis imitationis, qua ad fundenda carmina plerumque incitamur, motus eosdem furoremque poeticum lecto pulchro carmine tanquam aliquo contagio concipientes: ita et metaphoras poetæ alii aliorum, vel inscii ignarique, solo naturæ impetu et amore ejus pulchritudinis quæ ipsorum animos adfecerat, imitantur, donec nimis crebro usu plebis poeticæ ita vilescant, ut ab illis abstinendum sit. Solent autem in imitando jam eandem metaphoram, qualem a superioribus acceperunt, suam facere, jam aliquid in ea mutare, addere, demere, magis ornare, sive quod diviniorem animi impetum persentiunt, quam is ipse qui eos ita accenderat, sive quia novitatis laudem adfectant, ornatioremque et pulchriorem effingi metaphoram sperant posse. Ex quibus illi superare eos, quos imitabantur, non raro solent: hi minus feliciter versari, exemploque esse, in poesi artem non delectare, sed ingenium impetumque. Ita autem fit, ut et poetica metaphora indies fiat audacior, donec tandem aut in tumorem abit, aut nimio ornatu laborat, aut a magno poeta, simpliciore et jam pene obsoleta metaphora denuo utente, ac redivivæ novitatis gratiam habente, illuc reducitur unde divagata erat. Quod quisque, qui a natura ad poesin informatus contagium illud pulchrorum carminum sensit, non aliorum modo exemplis sed et suo compertum habebit: nam et optimi, atque a natura poetæ, aliquando tamen in imitando magis fiunt quam esse debebant artifices. Est ergo et poetica imitatio in caussis numeranda, quibus fit, ut carmina Orientalium, gentium denique omnium, quibuscum non multum nobis intercedit commercii, paullo insolentiora, quam sunt, videantur: quod nos in aliis metaphoris audemus, idem illis in aliis facientibus, in quibus nos timidiores sumus. Nempe in his casti omnes, nec ornatus prodigi solemus esse, quibus aut ipsi primi utimur, aut post paucos, ita ut nondum ad linguam metaphoricam referri possint: in reliquis audaces. Erit forte alius de imitatione Orientalium poetarum dicendi locus, cujus eximium

exemplum propoſuerimus Habbaccucum, ſi non injucunda ea videbitur diſputatio.

Quoniam autem de metaphoris agentes eo dilapſi ſumus, ut nimii tumoris crimen toti Orienti objectum ab optimis ejus poetis abſtergeremus, cauſſaſque indicaremus erroris, addamus et aliam, culpam interpretum. Nempe contra, quam eſt boni interpretis, etyma vocum non raro in verſione exprimunt, adeo obſoleta, ut nec auctor, nec qui linguam cum lacte matris imbiberant auditores, illorum recordarentur, quando verbum in ſignificatione ſecundaria ponebatur: aut ſi hoc non committunt, vocem tamen tropice pro communi uſu linguæ poſitam, in qua jam nihil nec ſublimitatis nec elegantiæ, proprie reddunt, quo fit, ut pro tropo legamus metaphoram, ſine dubio inſolentiorem, nimioque ornatu poema obrutum laboret. Quo in genere et inſcitia peccatur interpretum, qui nec ſignificatus proprii ac tropici, metaphoræque fines, nec ſuum officium nôrunt, (Aquila pro exemplo ſit:) et nimia eruditione atque induſtria. Grammaticus enim, omnes receſſus linguæ pervagatus, nimiſque præſentes animo ſuo ſignificationum origines habens, in verſione ponit, quæ melius forte in ſcholiis, ac ne in his quidem, ſed in vocabulario legerentur. A qua culpa ne Schultenſius quidem immunis in Jobo interpretando, vir de linguis Orientalibus immortaliter meritus, nec Grammaticus merus, ſed elegantioris ingenii: multo autem gravius ab aliis peccatur, qui, carmina Arabica Europæo idiomate incondite nimiſque proprie interpretati, mirum quantum clamant calidiora (ſic putant) ingenia a noſtris differre, quaſi vero calore ſolis, corpora enervante, animi accendantur.

68. 3. (18) Eſt hoc peculiare poemati Hebræo, multas metaphoras a rebus naturalibus depromere, maxime ab herbis arboribuſque, ut poeſin botanicam dicere auſim. Neque id mirum; populus enim erat aratorius et paſtoritius, in quo ſine ſuo agro paſcuiſque nemo naſcebatur: nec poeſis eruditis relicta, ſed ita per omnem populum amor ejus diffuſus, ut et verorum paſtorum carmine ſilvæ reſonarent. Hinc in exiguæ molis bibliotheca Hebraica, genti ſuperſtite, codice inquam ſacro, ultra cel. inveniuntur nomina botanica, quibus nemo frequentius utitur poetis. In quo a noſtra poeſi maxime diſtat Hebraica, plus habuiſſe varietatis et jucunditatis nobis viſa. Ut enim taceam, ipſos noſtros botanicos vernacula plantarum nomina, apud alios alia, perſæpe ignorare,

proque illis uti Latinis factis, quæ carmine aſſuere nefas: plurimi poetæ ita ab agris rerumque natura ſemoti ſunt, ut paucas herbas arboreſque nôrint, prudentes, ſi ab illarum nominibus abſtinent, nec committunt, ut riſum debeant peritioribus. Quod ſi botanicum eſſe poetam contingat, non ſinit tamen cum inſcitia plerorumque lectorum ſuæ ſcientiæ ornatu uti, niſi obſcurus fieri velit. Atque etiam multarum plantarum nomina vernacula in eam deſuetudinem abierunt et poetis et eruditis, tamque ſunt ſolis relicta ruſticis, ut illa tanquam plebeia dignitas cultuſque poetici ſermonis refugiat. Sequitur autem hinc, ut ſine curatiore et penitiore botanices cognitione, notitiaque herbarum arborumque Orientis, pulchrum id, quod Hebraica carmina maxime commendabat, non ſatis queamus intelligere, ſed lætante et ridente poeta, boni forte philologi et grammatici, ſimus oſcitaturi. Qua in ſcientia uni Olao Celſio plus quam reliquis debemus omnibus: ſed tamen reliquit ille multa aliis, ipſum Orientem adituris, ignotarumque adhuc plantarum notitiam ad nos reportaturis. Nec ſufficit poematum biblicorum lectori, deſcriptiones nôſſe plantarum, ſed ipſas aut vivas viderit neceſſe eſt, aut imagine expreſſas objecerit oculis, ſi illos motus perſentiſcere cupit, eodemque pulchro adfici, quod animo poetæ obverſabatur.

[Id vero mirum, raram in carminibus Hebræorum fieri ſiderum mentionem, quorum vix tria aut quatuor nomina Hebraica novimus. Dicunt, aſtronomiæ valde ſtuduiſſe paſtores, Iſraelitarum progenitores; quod ſi verum eſt, quærere liceat, unde evenerit, ut poemata ſua Hebræi frequenter herbis ornent humi collectis, aſtra raro illis, et modo pauca, inſerant? Cometæ tamen mentionem fieri, eique Davidem comparari arbitror, Num. xxiv. 17. ſed a Bileamo, Euphratenſi, cujus carmen aliquid habere Babylonicæ ſcientiæ potuit [a].]

(19) Hæ quidem, et quæ ſequuntur, deſcriptiones aucti ſplen- 69. 13.
doris ſolis aſtrorumque, dierumque ſine nocte, non ex rerum natura deprompta ſunt, ſed ex fabula. Comparant inſignem felicitatem populi aureæ, quam ab Ægyptiis poetæ acceperunt, ætati. Multus in hac imagine ornanda Jeſaias: de qua plura dabo in appendice Prælectionis nonæ.

(20) Plures ejuſmodi imagines ex Arabia petitas collegi, atque 72. 23.
hanc torrentis perfidi curatius expoſui in *commentatione de Jobo Æ-*

[a] *Quæ in uncinis incluſa ſunt deſunt in Edit. Goetting.* MDCCLXX.

gyptio, ſeu de crebris alluſionibus ad res Ægyptias in libro ... mense Octobri 1753. Societati Regiæ Scientiarum recitata §. 1.

74. n. 30. (21) De explicatione hujus loci dubito. Dabo, beſtiam arundinis leonem eſſe poſſe: videtur tamen aptior etiam crocodilo deſcriptio, Nili incolæ, cujus fluvii arundineta ita ſunt decantata, ac nemini non dicta, ut de Nilo potius quam de Jordane cogitaveris, *beſtiam arundinis* legens. Eſt præterea frequens Hebræorum poetis, crocodilo comparare Ægyptum, ut nec hac parte mea laboret interpretatio. Nec in מתרפס ברצי כסף facere cum Lowtho velim, licet data ab eo verſio crocodilo aptior ſit, quam leoni, eoque ipſo in loco, quem citat, Ezech. xxxii. 2, crocodilus turbare Nilum dicatur. Primo enim rivi *argentei*, quibus noſtri poetæ delectantur, in omni poeſi Hebraica non inveniuntur, (ſed hoc leve, poſſit enim poeta et novum quid atque inſolens tentâſſe:) deinde רַצֵּי non ſatis grammatice a רוץ derivari poteſt, ex רצץ ortum: neque uſu linguarum Orientalium confirmavit, ſed tantum per conjecturam ſumſit noſter, a currendo rivos רצים dictos eſſe. Contra, communem interpretationem, cui רצי כסף *laminæ argenteæ* ſunt, vel ideo prætulerim, quod linguæ Arabicæ conſuetudine commendatur: nec tamen מתרפס verterim, *ſubſternentem ſibi*, vel *proſternentem ſe*, ſed eadem ſororia lingua duce, cui رفش eſt *luxuriari, abundare*, reddiderim, *qui luxuriantur in laminis argenteis*. Noli autem hoc ſive ad beſtiam arundinis, ſive ad cœtum taurorum referre, quod nec fieri ſine generis anomalia poteſt. Eſt nova, magiſque propria, prædivitis et inſolentis populi deſcriptio: *increpa crocodilum, arundinis incolam,* (Ægyptum) *cœtum taurorum inter vitulos populorum: luxuriantem in laminis argenteis gentem. Ratum eſt! Diſſipavit populos bello delectatos.* In quibus meis diſplicet tamen adhuc *cœtus* taurorum, de quo ſi quis me plenius edocuerit, aut pro *cœtu* verbum ſubſtituerit, quale in ſuperiore membro erat נער, gratus alterutro utar beneficio.

[P. S. Quem indicavi nodum ſolvere tentavit Clariſſ. *Rukersfelder* in *Sylloge obſervationum*, Faſc. i. p. 201. pro *cœtu taurorum* reponens, *impetum taurorum in vitulos gentium*. Philologicis rationibus apta explicatio, verique aut ſimillima, aut vera[b].]

76. 17. (22) Non omittenda hic rivorum et fontium, terræque larga pluvia recreatæ imago: qua quidem et noſtri poetæ utuntur, ſed frequentius Orientales. Nempe penuria aquæ, æſtuſque intolera-

[b] *Quæ in uncinis incluſa ſunt deſunt in Edit. Goetting.* MDCCLXX

bilis, et mira ipsius arenæ fertilitas et luxuries, si rivulo rigatur, pulchriorem et jucundiorem Orienti, quam nobis est, illam comparationem facit. Vere et æstate, flante per aliquot dies Euro, agri universi ita aduruntur, ut vix quidquam virens supersit, rivi plerique et fontes exsiccantur, reliqui salmacidi fiunt, ipsaque pene emori videtur natura. At imbre largo effuso, agri exspectatione citius mirum in modum revirescunt, et rivi redeunt, et dulciorem jam aquam fontes fundunt. Major apud illos morientis naturæ tristitia, et reviviscentis luxuries, non potuit non et vulgi animos et poetarum fortius afficere. Sæpe hanc imaginem resurrectionis mortuorum Muhammedes proponere solet; non tam hac parte poetam agens, quam philosophum. Iisdem pene phrasibus utens, mori terram dicit; imbre eandem vivificari, omnesque tum ejus glebas moveri, novis herbis certatim erumpentibus. Vivis hanc naturæ tanquam παλιγγενεσίαν coloribus descripsit ALEXANDER RUSSEL in historia naturali Halabæ (*natural history of Aleppo*) p. 63, 64, 65. dignus, ut ab illis legatur, qui Orientalium poetarum non verba modo audire, sed et eodem cum illis sensu adfici cupiunt. Hinc enim millenæ similitudines, aut insolitæ nobis et audaces; aut quæ apud Orientales propriam habent significationem. Caabus, Arabicus poeta, Muhammedis æqualis, statim in initio carminis puellæ subridentis dentes audacter satis ob suavitatem et puritatem comparat vino aqua temperato, in qua vixdum fuerint bullæ ex guttis hesternæ pluviæ. Jesaiæ frequens, faustum et exoptatum rerum statum, adversis succedentem, eadem imagine exprimere: sed quam plerique interpretes magis anxie explicant, et tanquam ad vivum resecant, quam in poeta licet. Jam enim proprie accipiunt, quæ vates figurate dixerat, jam theologice singula interpretantur, quæ aqua sit, quærentes, qui sitientes; vera multa et pia admiscentes, sed quæ nec reliquo orationis argumento apta sunt, et de quibus poeta non cogitaverat. Poetæ enim non est, ænigma aliquod per omnia similia anxie exasciare, sed libere ornare atque illustrare pulchram, qua utitur, imaginem. Sic ille de felici Palæstinæ statu, eo tempore, quo vastata et subacta esset Idumæa, cap. XXXV. 1, 6, 7.

> Lætetur de his desertum et aridum,
> Gaudeat solitudo et floreat ut narcissus
> . . . .
> Erumpet in deserto aqua,
> Et flumina in planitie.

Eritque nebulosum æquor stagnum,
Et sitientia scaturigines aquæ.

Sciendum autem, planities majores intolerabili plerumque æstu torreri, et aquæ penuria desertas esse. שרב, vapor æstu solis accensus, ut vasti æquoris speciem referat, qualis sit, et ex patris mei dissertatione naturalia codicis sacri ex Corano illustrante, §. 10. et ex Russelo disci potest. Quod de stagnis habet, etiam in illo tractu verum, in quibus post imbres late stagnare aqua in arenosis vallibus solet, ut tota regio alia, novusque aliquis orbis creatus videatur. Alio modo eandem imaginem magnæ siccitatis largique imbris ornat c. xli. 17, 18, 19. reditum Israelitarum ex Babylonio exsilio canens:

Humiles et incurvati quærunt aquam, sed deficit:
Lingua eorum siti exsiccatur:
Ego Jehova audiam illos;
Ego Deus Israelis non relinquam illos.
Aperiam in montibus flumina,
Et in vallibus fontes:
Deserta faciam stagna,
Et siticulosa loca scaturigines aquæ.
Dabo in deserto pinum et Ægypti spinam,
Myrtumque et oleam:
Ponam in planitie abietem, et Tedar, et buxum una.

Nempe et hoc jam fingit mirabile, ut nova audacia carmen illustret, arbores patria disjunctissimas in eodem deserto proventuras; abietem pinumque, Libani indigenas, nivibus et largo humore delectatas, olivam Hierosolymæ, spinam Ægyptiam Arabiæ, utrique siccæ, propriam, et myrteta in litoribus alias lætissima. Redit eadem imago, c. xliii. 18—20. sed nova aliquo ornatu. Fingit enim, feras deserti, ipsosque dracones siti vexatos, sibilis suis atque nocturnis ululatibus laudare Deum ob [illegible] Arabiæ arenas. Vide et c. xliv. 3, 4. Nonnunquam in Hierosolymitano tractu, qui natura ariditsimus est, paucisque rigatur fontibus, ingens erumpere flumen vident, ac tanto alveo in mare mortuum influere, ut ejus aqua, omnium marium maxime salsa, dulcis evadat. Cui fictioni Gihon occasionem dedisse videtur, ex Sione erumpens rivulus, cum forte aliquando solito largius fluens prodigii instar haberetur. Primus, ni fallor, ausus tale quid David, sed modice et verecunde, ut primum fictionis auctorem decet. Descripto enim ingenti terræ motu, quo regna mundi, montes, in-

quassarentur, addit, sanctam Dei urbem canalibus interea exhilarari Ps. xlvi. 5. Suspicor, ejusmodi quid illo tempore accidisse: solet enim cum terræ motibus conjunctum esse, ut rivi fontesque alii deficiant, alii repente exsistant, aut insolita aquæ copia exuberent. Sed hoc imitatoribus non sufficit, nova semper et audaciora, ut supra jam monui, tentaturis, ne omnem ornatum illi debeant, quem imitantur. Sic ergo Joel, fabulam etiam aureæ ætatis admiscens, c. iv. 18.

> Stillabunt montes musto,
> Et colles ibunt lacte:
> Et alvei Judææ omnes ibunt aqua,
> Fonsque ex æde Jehovæ promanabit,
> Rigabitque vallem Sittim.

Forte hic subest sensus mysticus: sed is jamjam nihil ad me, solum decus fictionis poeticæ explicantem. Ezechiel, semper ille imitator, imaginesque ab aliis inceptas absolvens, minus tamen sublimis, in capite xlviii. prosa oratione, ac pene geographus, hunc rivum descripsit, marique eum mortuo immisit: Zacharias etiam, sed brevior, duplicem ei exitum in mare mortuum et mediterraneum dedit, c. xiv. 8. At Jesaias, in ipsa imitatione novus, semperque suus, ingentiumque imaginum creator, majus quid ausus. Non rivum, non flumen vidit, sed confluentia in vallem Hierosolymitanam flumina soli omnem naturam mutare, ingentemque efficere lacum, cui Æolus a Deo custos additus, ventique, hostium classis dispersuri, si qui navibus oppugnare invictam urbem audeant: c. xxxiii. 21. Confer autem Ps. xlviii. 8. cujus imagines in toto capite xxxiii. imitatur propheta, ne ridiculam poetæ sacro fictionem tribuas, ac si ob latitudinem aut profunditatem fluminum navigia in illis ire nequeant. Alibi gentes fœcundæ late exporrectis rivis comparantur, eorumque progenitores fonti sacro ex saxo erumpenti, jam fluvii genio, ex amphora flumen fundenti: Num. xxiv. 6, 7. Ps. lxviii. 27. Jes. xlviii. 1, li. 1, 2. Quibus in locis aliqui, poetam ita interpretati, ut in prosaico scriptore fas erat, pro amœnissima comparatione turpiculam descriptionem et molestam, nihil certe habituram delectationis, Jesaiæ affinxerunt.

Quæ in tempestatibus describendis Orientalibus poetis propria sunt, hujus loci videri poterant: sed agam de illis ad pag. auctoris 111. ubi, licet alia occasione, Psalmum xviii. versione expressit

A terræ motibus, Palæſtinæ frequentibus, ſimilitudinem petere, vix erit, qui non audeat, poeta, licet illos nunquam ipſe expertus ſit. Non ergo hic commemoro, quod a Jeſaia, qui ipſe motui terræ graviſſimo ſub Uzzia interfuit, magnæ calamitates terræ trementi comparantur, c. xxiv. 19, 20. alibique. Id tamen inſolentius nobis, et tum ob pulchritudinem ac decus, tum ob audaciam figuræ, notatu dignum, quod imperium præpotens, ſed interiturum, monti perdenti, id vero eſt ignivomo, ruituro, et late alios montes ſua ſtrage involuturo, et toti comburendo, ut ne lapidibus quidem exuſtis uti poſſis, Jeremias comparavit, c. li. 25, 26. quam imaginem non aſſequutos interpretes video.

Parturientium etiam feminarum imagine multo utuntur crebrius quam noſtri, quibus non dolentes modo et deſperantes, ſed et ſæva ſpirantes heroas comparare audent, Jeſ. xlii. 14, 15. atque, quod nunquam tentarent noſtri, ſive pudore, ſive comparationis inſolentia, partum curioſius deſcribunt, rariora etiam in uſus ſuos vertentes. Ex quo genere eſt, quod habet Jeſaias, c. xxvi. 18. *parturivimus, intremuimus* (חול enim proprie tremorem parientium deſignat, quod bene vidit Chaldæus) *peperimus ventum:* ubi ad empneumatoſin, ſeu, ut vocant, molam ventoſam alludit, de qua, aliiſque imaginibus ſimilibus, plura egi in notis, ſubjectis orationi meæ de connubiis ſcientiarum aliarum cum philologia orientali. Cujuſmodi imaginem aures noſtræ vix quidem in poeta ferrent: ſed vide quæ diſputabo in viceſima quinta obſervatione.

84. 10. (23) Vereor, ne Græcis paullo iniquior hic ſit, multum illis debens, Noſter. Inferorum regnum, quod Græci habent, ab Ægyptiis fortaſſe acceptum, ex eodem fonte promanavit, animis ſede data ſub terra, quia corpora ſepulchro condebantur. Nec negari poteſt, ſocietatem aliquam, conſortium, colloquia, civitatem etiam inferorum Hebræos fingere, quæ ſine dubio fabula eſt: licet neminem ex illorum poetis habeamus, qui iter ſubterraneum ſingulari libro deſcribens fictionem tanquam perficiat, audaxque,

Pandere res alta terra et caligine merſas.

Habent præterea et ſuas beatorum inſulas, et Stygem, de quibus infra poſt Prælectionem nonam dicendi locus erit. Nec dedecet poetam fabula; licet non vera ſecundum literam, multum tamen a mendacio diſtans. Quin video Hebræos hac fabula de republica umbrarum (**Reich der Todten** vulgari etiam nomine Ger-

mani dicimus) magis aliquando quam Latinos Græcoſque abuti: quippe ad inferos non humanas modo umbras deſcendere fingunt, ſed et arborum, et regnorum: Jeſ. xiv. 9—20. Ezech. xxxi. 14, 16, 17, 18. xxxii. tot. (ubi non omnes qui quacunque morte occiderunt, ſed deletarum gentium exercitus, deſcendere ad inferos, ipſamque ſecum rempublicam Orco inferre finguntur.) Quod ita uſu invaluit, ut et in proſam orationem tranſiret, Chriſtuſque, æternitatem eccleſiæ promittens, portas, ſeu regnum inferorum non eam debellaturum dicat: Matth. xvi. 18. Nempe poetarum veſtigiis inſiſtentes, ut apud Græcos, ita in Judæis theologiæ interpretes, mythologiam aliquam habent de aula, (portam dicunt Orientales,) inferorum, Orcique tyranno Sammiele: hactenus non accuſandi, niſi deinceps eo prolapſi eſſent, ut improprie dicta et μυθολογούμενα proprio ſenſu acciperent: unde eadem tandem apud illos theologiæ corruptio, quæ apud Græcos, non poetis imputanda, ſed nimium ſanis eorum lectoribus.

Quod autem ait noſter, *eo monſtrorum apparatu Græciam fabulas ſuas de inferis inſtruxiſſe, ut nemo vel e populo tam eſſet excors, cui non riſum moverent tot deliramenta*; fateor, ſi quis mythologica proprio ſenſu accepta credebat, vel populo eum riſum debuiſſe. At non exiſtimo, ipſum Lowthum, pro eo quem habet pulchri poematis ſenſu, ridere Homerum, Virgiliumque, cum fabuloſa eorum de inferis una ſerie legit. Rideri queunt pleraque poetica, ſine illo furore lecta, quo non indocta pectora carmen afficit: nec poſſet non inſanus videri poeta, ſi fictionibus omnibus et figuris ſervatis in propoſitiones logicas reſecaretur.

Hoc tamen uno diſtant ab Hebræis Græci, quod hi duplicem fabulam, de ſubterranea mortuorum ſede, deque beatorum inſulis conjungunt, habentque ante Orcum Stygia flumina: contra illi utramque ſejungunt, et ultra mare ingens, mortuis enavigandum, non infera regna, ſed inſulas habent, ſive beatas piorum, ſive ſteriles, ardentique ſole uſtas, impiorum exſilia.

(14) Egregie monitum, et ad rem Hebraicam aptiſſime. Habet enim Palæſtina et vicina Arabia ingentes cavernas, Cimmeriis etiam celebriores, in quibus magni olim populi habitârunt, ipſique adeo Phœnices, qui teſte Herodoto ex Idumæa in Palæſtinam migrârunt. Quod argumentum uberius tractavi, et חרים *Troglodytas* Idumææ, quibus connubiis conjunctus Eſavus eſt, Cananitas fuiſſe, ipſo Moſe teſte, quem alii Herodoto non intellectum opponunt, perficere ſtudui, in *commentatione de Troglodytis Seiritis*, 86. n. 9.

et Themudæis, quam anno 1756 ſocietati Regiæ Scientiarum recitavi. Monui inter alia, quod huc transferre liceat, inter gigantes numeratos Anacæos, בני ענק, non Anaci cujuſdam poſteros, ſed ex etymo Arabico *filios ſpecuum*, id vero eſt, habitatores ſpecuum, ſeu Troglodytas, dictos videri. Jam notemus gigantum et umbrarum apud Hebræos tanquam cognationem. Nempe cum a celebriore aliqua gigantum gente omnes in univerſum gigantes רפאים dicerentur, accidit, ut idem nomen et in inferis umbriſque hæſerit: forte (alia certe apta etymologia non ſuppetit) quod deleta Troglodytarum et Anacæorum gente, cavernæ ab illis olim habitatæ Ditis aliqua domus haberi cœperunt, prorſus ut apud Homerum Virgiliumque Cimmeriorum receſſus. Circa ipſum etiam illud Abrahami in caverna ſepulchrum, filii Anac, ſeu Troglodytæ, a Moſe memorantur.

89. 15. (25) Commemorandæ hoc loco et illæ imagines videntur, quas a vitiis hominum petitas ad res non turpes ſolum, ſed et laudabiles et honeſtiſſimas Hebræi transferunt: quo in genere multo frequentius et audacius noſtris poetis ebrietatis et impurorum amorum pleniore pictura uti ſolent. Jam enim, quod et noſtri audent, gladium ſanguine ebrium ferocius et impotentius debacchari canunt, Deuter. xxxii. 42. Jeſ. xxxiv. 5, 6. jam civili ſanguine, novam ſitim provocaturo, cives, hoſtili victores, inebriari fingunt Jeſ. xlix. 26. lxiii. 6. ipſumque adeo Deum bellatori ebrio pulcherrime comparant, Pſ. lxxviii. 65. jam terram ipſam moventem ebrio nutanti, Jeſ. xxiv. 20. Nunquam tamen audacius hac utuntur ſimilitudine, ejuſque picturam tanquam abſolvunt, quam in majoris ſtultitiæ, aut miſeriæ, quæ de ſtatu mentis et conſilii deturbat, deſcriptione. Exempli loco expendi merentur, Jeſ. xxviii. 1, 7, 8, 11. li. 17—23. In altero loco, inſaniam Judæorum in explicanda lege deſcripturus, concilio ebriorum antiſtites hujus ſapientiæ poeta comparat, ipſam etiam ebriorum battologiam et inanem repetitionem earundem ſententiarum imitatus, fingenſque, Deum, quo acerbius ebrietati eorum illudat, ignota illis lingua reſpondere. In capite li. Sionem (eccleſiam chriſtianam, ut puto, a Romanis imperatoribus vexatam ac prope funditus everſam) ſub imagine feminæ venuſtioris formæ proponit, a marito repudiatæ. Hanc fingit a malevolis et petulantibus ad ſummum uſque ſtuporem inebriari, cogi ut interiora etiam poculi lambat, ne quid pereat vini, mortuæ deinde quam vivæ ſimiliorem in platea relinqui, proculcandam ab omnibus;

filios etiam, a quibus et domum duci et aqua recreari debeat, ebrios in platea jacere. Sic ergo jacentem, sed jam surrecturam, jam ornandam alloquitur:

> Evigila, evigila, surge Hierosolyma,
> Quæ bibisti ex manu Jehovæ poculum ejus æstuans,
> Quæ interiora poculi inebriantis bibisti, exsuxisti.
> Nemo illam aqua recreabat ex omnibus filiis quos pepererat:
> Nemo manu ducebat, ex omnibus filiis, quos educaverat:
> Hæc tibi duo evenere: quis tibi indoluit?—
> Filii tui mentis expertes jacebant in omnibus plateis, ut oryx
> irretitus,
> Pleni æstu Jehovæ, ira Dei tui.

Addit deinde vocem hostium, qui *cadaveri ejus* dixerint: *effunditor humi, ut transeamus: substerne pro terra tergum tuum, utque plateam transituris.* Turpiora etiam ludibria fingere ausus Habbaccucus, c. ii. 15, 16. imitator plerumque Jesaiæ, sed ita, ut novus et suus esse videatur. Gentes a Babyloniis victas inebriatis comparat, eadem passis, quæ ab Attalo Pausanias, mero solutus, et Attali primum, deinde et convivarum libidini subjectus. (Verba sunt Justini l. ix. c. 6.)

> Væ bibere cogenti alios,
> Ingurgitanti ad ebrietatem,
> Ut intuearis pudenda illorum.
> Satiatus es honestorum ludibrio:
> Bibe et tu, et admitte præputium, (i. e. constuprator)
> Transeat ad te poculum dextræ Jehovæ,
> Et vomitus turpes, pro gloria tua.

Nempe, quod secundum est, turpissimos amores plene, et vivide, et propriis verbis describere, lectorisque animum fastidio turpitudinum et horrore adficere solent, cum a re Venerea similitudines petunt: quod plerumque accidit in accusanda vana idolorum religione. Hanc enim prosa etiam oratione adulterio comparant: at poetæ cum in hanc imaginem incidunt, omni lupanaris horrore fœdam et abominabilem tabulam implent: in quo, ut in aliis fœdis picturis, ipse quem inde persentiscimus horror pulchritudinis est et artis. Omnia ergo illuc congerunt quæ de prostibulo vilissimo, frontis ferreæ, furentisque uteri dici possunt, ut in alto monte, aut in foro, meretricem præmortui pudoris lectum

ſibi ſternere, ſolito latiorem, nempe ut plures in eo amaſii, alter alteri ſucceſſuri, cubare turpiſſime poſſint; ubicunque locum videat in quo jacere queat, nihil niſi de concubitu cogitare vel in publico admittendo, multo aromate perfuſam ipſam appetere mares, explorare in his pudendorum modum, majora ſemper deſiderantem, nec unquam ſatiatam; ad imagines juvenum pulchrorum in parietibus expreſſas obſtupeſcere, ingemiſcere, admirari horum juvenum ſcorta, ſuamque illis felicitatem invidere; jam furentis Veneris errore ligno et lapidi conſtuprandum admovere corpus, jam quos in pariete viderat miſſis in diſſitas regiones legatis in amplexus ſuos ſolicitare, nec ob formæ ſolum elegantiam, ſed quod audiat caballorum illos et aſinorum in concubitu ſimiles eſſe, feminiſque multitudine ſatiare languentem deſiderio meretricem poſſe. Nec verbis pudor aut modus, ſed leguntur exquiſite turpia, non illa quidem ſolicitatura lectorem, ſed horrore eum perſtrictura. Exempli loco eſſe poſſunt Jeſ. lvii. 7, 8, 9. Jerem. ii. Ezech. xvi. xxiii. multo etiam in Hebraicis tetriora quam in verſionibus. Meum non eſt, illa explicare: ut tamen a linguæ Hebraicæ ſecundum lexica et commentarios peritis intelligi poſſit, quo digitum intendam, verba pleriſque non intellecta quid mihi ſignificare videantur monebo. אמל Ezech. xvi. 30. Arabibus eſt, *ſpe et deſiderio coqui.* נדן *vagina*, quam omnibus gratis dediſſe meretrix dicitur v. 33. ipſum illud membrum, quo peccant meretrices, turpiuſcule dicitur. Meretrix שַׁלֶּטֶת v. 30. ex Arabiſmo eſt clamans et impudens meretrix, non nutu, ſed publico in plateis clamore, viros ſolicitans, quales in magnis urbibus nonnunquam inveniuntur. עשה Ez. xxiii. 3. proprie ex Arabiſmo eſt, *tegere*, deinde et ad rem Veneream transfertur. עגב, eo[illegible] dem Arabiſmo indice, non tam eſt amare, quam obſtupeſcere: unde intelligitur, quomodo obſtupeſcere et admirari pellices *Ægyptiorum*, quas rivales minime amabunt, dici poſſint Iſraeliticæ meretrices, Ez. xxiii. 20. In exſiliis etiam gentium, fatiſque ſuperiorum deſcribendis, jam exſules feminas turpiter nudant [illegible] Hebræi, jam rempublicam feminæ comparant proſtitutæ, omniumque oculis expoſitæ. Jeſ. xxiii. 10. xlvii. 2, 3. &c.

Hac licentia nihil magis abhorret a noſtri carminis pudori, nec ferrent noſtræ aures poetam, vernaculo ſermone tam propria turpia canentem, ſcenamque horrendam ipſis adeo oculis ſubjicientem. Ne in amatorio quidem carmine deceret, tam nude ea ſpectanda præberi, quæ, quo tectiora ſunt, eo plus gratiæ et illecebrarum

habent; nec Germanici carminis ejusmodi quale est Canticum Canticorum, auctor aut esse, aut haberi velim. Non moribus fraudi esse illam dicendi licentiam arbitror: certe non magis, quam apud nos nudatos feminarum vultus, et apud gentes quasdam feras totum pene corpus nudum. Occallescunt enim ut oculi ita aures, diuturna consuetudine: libido etiam plus accenditur male velando, quam prorsus nudando. At placere non posset poeta, rusticus haberetur, et de fæce plebis, qui apud nos res Venereas, quales sunt, ea oratione exponeret: nec nocere putaretur, sed facere non decentia. Non ergo, si nobis hac parte displicent Hebræorum poetæ, damnandi, nec morum præceptis objurgandi, sed tenendum, aliud apud alios decorum esse: nec magis dedecere poetam in Oriente, omnes lupanaris horrores promere, et soli tanquam ostendere, quam nostros, si idem in homicidio, aliave vi injusta audeant. Caussa autem subesse hæc videtur. Apud nos libera utriusque sexus colloquia et consuetudo faciunt, ut in omni sermone cavendum sit, ne quid audiatur, quod virginum ruborem provocare possit: quarum aures lædere non tam lasciviæ est, quam rusticitatis. Cui pudori, in utriusque sexus cœtibus necessario, ita a teneris adsuescimus, ut viri etiam cum viris colloquentes virgines videri Orientalibus possimus; orationem autem metro adstrictam, quæ omnium maxime comta et ornata est, prorsus virginalis deceat verecundia. Hæc in Oriente alia sunt omnia. Viri viris consuescunt, nec cum feminis colloquuntur familiarius, nisi uxores eorum sint, ancillæ, aut meretrices: feminæ porro cum feminis, ne in vestibus quidem domi pudoris aliquem modum servantes, sed, ut ait Shawius, in sua gynæconitide Silenorum satis similes. Hinc major verborum licentia: Arabesque, teste Arvieuxio (T. iii. c. 11. p. 195.) non pudet, quidquam rei naturalis proprio verbo indicare. In libris Arabum, eadem stili libertas: et carmina, licet nonnunquam boni pictoris arte aliquid celent, ut investigetur curiosius, multa dicere audent, de multis [illegible] quæ nostri poetæ furtim prodita soliis lectorum suspicionibus permitterent.

(26) Hic ego quidem non video, quid ad corporis humani in- 96. 4.
[illegible]textum faciat acupictura in vestibus sacerdotis, aulæisque tabernaculi. Nec enim illa ars sacris propria, sed latissime ejus usus apud Hebræos patuit: nec quidquam ex sacris lucis aut decoris accipit, quod maxime mirificum habet poeta: *in penetralibus terræ.*

96. 24. (27) Vereor, ut pleræque allusiones ad res sacras, quas in hoc Psalmo invenire sibi visus est noster, locum tueri possint. Induuntur quidem sacerdotes, ut alii: sed nec verbum לבש *indui* illis proprium, sed commune omnibus: nec Deus in imagine sanctuarii ad cœlum translata sacerdoti bene comparabitur, sanctuarii ministro.

96. 28. (28) Nescio, cuinam hanc lucem in adyto visam crediderit noster. Judæi quidem, qui multa de Schechina habent, testes esse nequeunt hujus spectaculi, quod multis ante se natos seculis disparuisse, nec in templo secundo visum esse, ipsi fatentur: quis enim illis verisimilitudinum legibus adsuetus, quas et boni logici tradunt, et historici sequuntur, in re tam antiqua tam audiat novos tam mendaces testes, maxime si ipsi fateantur, non se ex libris habere, quæ tradunt, sed ex narrationibus majorum, quas eundo crescere nemo ignorat. Nec hos credo sequutum nostrum, sed locum Levit. xvi. 2. quem tamen non de Schechina miraculosa intelligendum esse, sed de nube suffimenti, sedem Dei obumbrante, ne vel vacua sedes mortalibus oculis usurparetur, ex v. 13. ejusdem capitis ante hos quinque annos Clarissimus Thalemannus docuit; *nubem super arca fœderis Judaicum figmentum videri* disputans: (Lipsiæ 1752.) cui tamen non eo usque assentior, ut cum eo credam, nunquam, ne inaugurationis quidem die, nubem diviniorem Cherubis incubuisse. Nisi ergo sufficiat phrasi Psalmi, Deum fulgentissimum semper ipsamque lucem habitum esse, malim eam repetere ex creationis historia, primoque Dei opere, quo se spectandum mortalibus dedit. Favent meæ conjecturæ, quæ statim de creatione cœli terræque divinus vates subnectit. Sensus erit: *ipse quidem tanquam velo involutus lates: at hoc tuum velum, quod solum spectandum nobis dedisti, lux est, prima omnium ex antiqua illa nocte erumpens, fulgentioremque lucem et accedi nesciam obvelans.*

97. 7. (29) Non video, cur tabernaculo potius Mosaico, quam cuivis tentorio augustiori, cui et sua erant aulæa, cœlum his verbis comparetur.

97. 18. (30) Nimis hoc late patet: quod si valet, eodem jure omnibus ædificiis, utpote quorum est, contignari, quin rebus compositis omnibus, comparari aeris naturam dixeris. Mihi certum est, ad tabernaculum conventus hic non alludi, quippe cui nullum erat עליה, cœnaculum: sed ad domos Hebræorum, supra quas cœnaculum, a reliquis ædibus secretum, et secessibus destinatum, emi-

-ſtebat, dilucide a Shawio deſcriptum. Sic et Deo ſua ſunt cœnacula, ſui ſecreti a mortalibus ſeceſſus, aqua, glacie, nubibus, grandine, contabulata. Arabibus etiam ſupremum cœlum, ſedes beatorum, tanquam propria poetis voce غرفة *cœnaculum* dicitur. Vide Sur. xxxiv. 36.

(31) Alluditur potius ad volucrem Dei tonantis currum, tonanteſque equos, quorum imago Cherubi in arca fœderis erant. Sed de hac fabuloſa imagine vide quæ Prælectioni nonæ ſubjiciam. 97. 28.

(32) Neque hic tabernaculo quidquam debetur. *Miniſtri* ſunt, qui ſupra angeli. Reliqua egregie dicta. Non enim de angelis loquitur vates, ſed de ventis et fulminibus, imperata facientibus. 98. 9.

(33) Exilis profecto imago, ſi terræ ſtabilitas comparetur tabernaculi portatilis, illoque tempore vetuſtate jam laborantis, æternitati: magnum contra, et vate dignum, tabernaculum terræ æternum fundatæ comparare. Mihi quidem etſi nihil tabernaculi Levitici animo oberret, hæ tamen ſententiæ et imagines perpulchræ videntur: *luce tanquam pallio amictus eras, cum primum ex æterna tua ſolitudine prodires, teque creatis mentibus præberes ſpectandum. Cœlum tibi pro tentorio eſt: cœlum pro ſecreto a mortalibus cœnaculo, aqua et grandine contignato. Nubium tonante curru veheris, portato ventorum alis. Turbines tibi pro nuntiis, fulmina pro miniſtris adſtant.* Quæ ſi poſſem carmine ita exprimere, ut Lowtho datum eſſe ſolet, Lowtho etiam judici probarem. Sed hoc Dea negat, Latinique carminis per x annos neglectus. 98. 20.

(34) Exempla quædam metaphoræ ex ſacris petitæ noſtro negavi: non tam ab omni abhorreo poetarum commercio, ut rem ipſam negem. Exemplo vel unicus ſuffecerit Pſalmus li. et ex ſequente lii. verſus decimus. Alluditur ibi ad morem, in atrio tentorii arbores plantandi, ipſumque oſtium amica umbra refrigerandi. Niſi tamen fallor, quotidiano ſacrorum uſu et adſpectu ad [illegible] metaphoras ſenſus populi quodammodo occalluerant, nec poetis illæ tam videbantur grandiſonæ, tam erant in deliciis, ut noſtro. Ex omnibus quidem quarum mihi in mentem venit, nulla ſatis admirabilis, audax, divina: ſed forte memoria non ſuggerit ex hoc genere præſtantiſſima et audaciſſima, aut idem mihi accidit, quod caveri jubet auctor, ut ignotæ rei et nunquam oculis viſæ imagine minus afficiar. 99. 12.

Graviſſimas nonnunquam metaphoras, et plurimum habentes

elegantiæ, ſuperſtitioſorum hominum erroribus deberi video. Quibus qui utitur poeta, nullius propterea erroris accuſandus eſt. Nec enim eſt poetæ, in imaginibus illud verum ſequi, quod philoſophi vident: ſed totam orationem ſenſibus et phantaſiæ accommodans, nec tam animo, quam oculis auribuſque omnia præſentia ſiſtere ſtudens, ſenſuum aliquod et phantaſiæ verum exprimit. Sed hæc dudum ab aliis diſputata mitto, ſatis habens, uno aut altero exemplo oſtendiſſe, non aliam hac parte Hebraici carminis rationem ac noſtri eſſe. Multus in Oriente præſtigiarum, et anilis timor, multa de incantationibus narrantur, per aures intrantibus: contra utraſque frequens amuletorum uſus. Serpentes etiam incantari credunt, ſed obturatis auribus cavere, ne carmine magico audito nocendi facultas ſibi pereat. Ad quam opinionem ſine dubio alluditur Pſ. lviii. 5, 6. Elegantior etiam ſimilitudo, ſed ab eodem errore petita, ineſt in verbis Salomonis Proverb. xxv. 12. *annulus aureus et ornatus argenteus, prudens objurgator eſt auri audienti.* Sententia eſt, qui objurgantem audiat, a multis, in quæ incidere potuiſſet, periculis immunem fore: quam ut elegantius dicat Salomon, comparat admonitiones inauribus, quæ plerumque amuleta erant, et cuſtodire aures credebantur, ne verbum malum intrare poſſet. Simillime Jeſaias, ſed male intellectus, donatuſque ſententia aut frigida, aut frigide dicta, nec Jeſaiæ ore digna, verborumque inſolitis prorſus anomaliis, c. xxvi. 16. *cuſtodia a præſtigiis tua eſt illis correptio.* Nempe לחש præſtigias denotare omnes ſciunt: צקון autem ex Æthiopico verbo צקן *munire, circumſepire*, illuſtrare jam auſus eſt Joh. Henr. Michaelis, niſi quod aliam ex verbis ſententiam exſculpſit.

102. 28. (35) Vix crediderim, in his antiquum chaos deſcribi, in quibus expreſſam potius imaginem graviſſimæ tempeſtatis, cum terræ motu conjunctæ, videre mihi videor. De illa nocte, quæ ante lucem primitivam omnia involvit, Ægyptiis etiam pro Deo culta, et Athor dicta, cogitare potius auſim ad illa Jobi, ſi quibus optat, natalem ſuum numquam illuxiſſe; Job. iii. 4. 6.

> Dies ille ſit caligo:
> Non ſpectet illum Deus,
> Nec illuceſcat ei Aurora.
> Repoſcant illum ſibi tenebræ et umbra mortis,
> Habitet ſuper illo nubes, &c.

Eſt ſine dubio ipſo rei horrore pulchra imago, et qua noſtri forte

Poetæ, post Miltonum, frequentius et audacius usi sunt, quam Hebræi.

(36) Verbis multo latius patentibus uterque uti poterat, licet 103. 5.
chaos Mosis animo ejus non oberraret. תהו, a تهي inania omnia et vacua indicat, multoque frequentior ejus usus in desertis, aut vastatis urbibus, quam in confusa illa elementorum congerie, quam chaos dixere. Vide Ps. cvii. 40. Deut. xxxii. 10. Jes. xxiv. 10. Job. xii. 24.

(37) In hoc etiam carmine, eoque quod sequitur, non chaos 103. 17.
agnosco, sed horrendæ tempestatis imaginem.

(38) Totum hoc conjecturarum genus in lingua, cujus tam 104. n. 7.
pauca monumenta supersunt, incertum; et sine reliquis linguis Orientalibus parum explorati de significationibus verborum Hebraicorum statui potest: cujus nostræ sententiæ rationes reddidimus in *dijudicatione viarum, quibus ad intelligendam Hebraicam linguam, dudum mortuam, contenditur,* (**Beurtheilung der Mittel, welche man anwendet, die ausgestorbene Hebräische Sprache zu verstehen**) §. vii. viii. ix.—x. xi. Non negamus *tranquillandi* significatum aptari locis plerisque posse in quibus רגע occurrit; sed possunt æque bene et alii: accidere etiam potest, ut non una omnibus in locis verbi sit significatio. Quid רגע significet, eodem in libro §. xxxvi. p. 214—217. ex lingua Arabica indicavimus, inter illas significationes loca, quibus in Hebraicis occurrit, dispertientes. Est nempe 1) plerumque aut *reducere* aut *redire*, ut Jerem. xxxi. 2. xlvii. 6. Ps. xxxv. 20. 2) *in patriam redire, domi esse*, atque hinc, 3) *votorum fieri compotem, beatum esse:* Deut. xxviii. 65. Jes. xxviii. 12. Jerem. vi. 16. Jes. xxxiv. 14. Ad quæ ibi uberius dicta et lectores reliquos remittere liceat, et vero virum doctum, qui in *bibliotheca elegantioris eruditionis* (**Bibliothek der schonen Wissenschaften und der freyen Kunste**) p. 140. significationem, quam verbo in relationibus de libris novis, Arabia facem præferente, dedimus, coactam et a natura abhorrentem statum iri aliter forte judicaturum, nisi linguam Arabicam ab Hebræa aliam ac diversam sumeret. Quem nobis opponit locum, Jobi xxvi. 12, 13. tractavimus in *commentatione de crebris allusionibus ad res Ægyptias in libro Jobi* §. xiv. Quæ cum nondum typis descripta sit, proditura quippe in commentariis Soc. Scien. Goettingensis, id unum sed sine argumentis excerpimus: de vicibus Nili, inundantis et deserentis Ægyptum, loqui videri Jobum, Nilum autem sæpissime, et proprio pene nomine, Ægyptiis, Arabi-

bus, Hebræis mare dici. *Robore suo*, inquit Jobus, *[illegible] mare, et prudentia sua percutit Rabab*, i. e. ſterilem illam Ægypti partem, quæ Nilo non mergitur, Rahab geographis dictam, tanquam anathemate ferit. Quam autem incertum ſit, ſine linguis Orientalibus ſola conjectura ex filo orationis petita de vocum Hebraicarum ſignificationibus judicare, ipſo illo viro docto teſte probare poſſumus, qui p. 139. de Lowthi Prælectionibus referens, *ita*, inquit, *Lowthus exponit. Apta explicatio: licet fateamur, oppoſitam etiam vim, verbo tributam, aptam eſſe:* Hoc ſi eſt, quid ex ſolo contextu habebimus certi? Nobis quidem Jeſaias ad hiſtoriam ſacram alludere videtur, non autem ad creationem univerſi, ſed ad trajectum maris Erythræi, hæcque eſſe verborum ſententia: *qui reduco mare, ut fremant fluctus ejus*, i. e. *qui ſpumantes et ſonantes maris Erythræi undas reduco, ut horribili cum ſtrepitu obruant Ægyptios.*

104. 15. (39) *Plantare cœlum* quid ſit, non ſatis aſſequor: certe ita inſolens eſt locutio, ut Jeſaiæ injuriam fieri non crediturus videatur optimus harum rerum arbiter, Lowthus, ſi pro conſueta interpretatione ſubſtituamus: *adfigens cœlum.* Aſtris nempe, tanquam paxillis adfixum, aulæum, cœlum videri poteſt: quod ſenſuum judicium eleganter Virgilius ſequens, dixit:

Axem humeris torquet, ſtellis ardentibus aptum.

Æn. iv. 482. vi. 798. נטע eſt, *figere, infigere*, uſurpaturque etiam de paxillis, Cohel. xii. 11. deinde infigere ſurculos dicitur, id vero eſt, plantare. Ad creationem autem cœli terræque alludi, ne hoc quidem loco certum eſt: poſſit enim pacatior eccleſiæ ſtatus tranquillitati comparari, quæ gravioribus procellis et terræ motibus ſuccedit, cœlum ruiturum, terramque trementem, tanquam fulciente firmiuſque adfigente Deo. Confer Pſ. [illegible] forte et lxxv. 4.

107. n. 5. (40) Forte de פחים paulo aliter ſenſiſſet auctor, ſi Arabicæ phraſis meminiſſet, fulmina laqueos dicentis. Longi enim fulminum tractus, a cœlo ad terram pertinentes, quorum vel laqueos quodammodo referunt, Arabibuſque inde in proſa etiam, mediocrique carmine, سلاسل vocantur. Haud ſcio, an et Chaldaicum, שביבא די נורא, Dan. iii. 22. vii. 9. ex etymo funem igneum denotet. Recte ergo, licet magis ad verbum, quam ad ſuæ linguæ ingenium, LXX. et Syrus, פחים *laqueos* verterunt: qui autem

-ἀνθρακας reddidit anonymus græcus, cum פֶּחָם contulisse, et ם pro radicis litera habuisse videtur. A פיח aut נפח, verecundia vocalium, a quibus nunquam sine necessitate recedo, derivare nolim: Patach enim sub פ in syllaba simplice positum, indicio est, literam Chet ex analogia grammatica geminandam fuisse, nisi ut gutturalis Dages respueret. פח vero, funis, ex פחח contractum esse, argumento est Arabicum فخّ, pluraliter فخاخ. Præfero enim notum aliunde vocabulum, eximiam hic sententiam fundens, ignoto et novo, quod sola conjectura ex verbo seu radice producitur. Verto ergo, *longos fulminum tractus super impios depluet.* Videor mihi aliquid hujusmodi in nostrorum poetarum monumentis legisse, cujus in memoriam redire non possim. Interrogatus a me illustris Gesnerus, non illa quidem, quæ nescio ubi legi, hæc tamen respondit: *nihil jam succurrit, quod huc conveniat, nisi forte illud, quod μάστιγα de fulmine usurpat Homerus Il.* N. 812. *et Lycophron* 436. *ac* 740. ἱμάσσειν *de percussione fulminis Homerus Il.* B. 782. ἀμφὶ Τυφῶϊ γαῖαν ἱμάσσῃ. *Schol.* ἱμάσσῃ, μαστίζῃ, ὅ ἐστι κεραυνοῖς πλήττῃ.

(41) Eximiam imaginem, ex natura petitam, prætermisit noster. Ventus Zilgaphoth pestilens Eurus est, Orientalibus notissimus, qui Julio et Augusto mensibus nonnunquam per octavam horæ partem spirans, obvia quævis necat: de quo, quis est diligentior Orientis explorator, qui non stupenda retulerit. سموم illum vocant Arabes, finguntque eorum poetæ, venenatum hunc ventum impios in suppliciorum æternorum loco pro aura vitali hausturos. Verum vidisse Syrum interpretem arbitrer, qui *ventum plagæ* (ܪܘܚܐ ܕܡܚܘܬܐ) vertit. Nec abludit derivatio, seu potius compositio, ex ذعف *æstuante veneno adflavit*, et ذلع *interemit.* 107. 4.

(42) Eximie apto et lectissimo exemplo usus noster Quod enim super monuerat, imagines aliquas apud Orientales certis rebus tanquam proprias fieri, quibus deinde audacius utantur poetæ, id vero maxime in Sodomorum excidio usu venit, cui gravissimas terrarum calamitates et devastationes, licet non per omnia similes, soluta etiam oratione comparare solent. Exemplum præbeat Moses, salis etiam, et sulphuris, et incendii subterranei, in describenda Palestinæ vastitate mentionem faciens, quæ omnia translata modo a Sodomis sunt, neque proprie accipi in belli calamitate possunt. *Videbunt,* inquit Deuteron. xxix. 22. 108. 5.

calamitatem terræ, ſalem, et ſulphur, omnemque terram exuſtam, quæ non conſeminatur, nec vireſcit, nec propullulant in illa herbæ, ſimilem everſis Sodomis et Gomorrhæ. Nihil hic ſalis mentione mirabilius nec intellectus Moſes multis interpretibus, ut ei conſulant, fingentibus, bitumen ſalem vocari. Hoc vero omne ex aſpectu vallium mari mortuo circumjectarum intelligi facile potuiſſet. His enim, Libani nivibus per Jordanem auctum, verno tempore innatat mare mortuum, unum omnium ſalſiſſimum: eaſque, recedens paulo poſt, ſale conveſtit. (Vide Pocockii itinerum commentarios, Vol. II. P. i. p. 36. Ezech. xlvii. 11.) Quo maris dono licet in ſua commoda utantur accolæ, facit tamen copia, ut non magnus illarum vallium fructus habeatur: cumque illa valle, exuſtis olim urbibus vicina, nihil ſterilius in omni Palæſtina ſit, indicium ſterilitatis ſalem habere cœptum eſt, et urbes etiam vaſtatas ſale conſerere, et ſteriles agros ſalſuginoſos vocare: Jerem. xvii. 6. Pſ. cvii. 34. Job. xxxix. 6. Jud. ix. 45. Quod enim ad hæc loca habent interpretes, ſalem terræ ſterilitatem inducere, ſi de ſale communi, ut volunt, accipiatur, magnam prodit rerum obviarum ignorationem, jure caſtigatam a doctiſſimo Altmanno §. xvii. exercitationis de ſale terræ: (in meletem, philologico-exegeticis T. i. p. 47—51.) quanquam hac parte ſine dubio errat, quod mari mortuo ſalem veri nominis, contra veterum et recentiorum fidem, negat, cujus tanta illi copia eſt, ut gravitas ejus aquæ communi collata ſit ut 5 ad 4.

Hanc Moſis in ſoluta oratione audaciam qui cogitaverit, imaginem vaſtitatis a Jeſaia informatam non ad vivum reſecabit. Sufficiet illi, quæ nunc eſt, horrenda Idumææ vaſtitas, nec quia ardentes rivos fumumque perpetuum, (qui et ipſe erumpere identidem ex mari mortuo ſolet) in illa non videt, ſtatim cum Judæis, Chriſtianis multis, eoque, quem plerique in Jeſaia ſequuntur, Vitringa, aliam quæret in Italia Idumæam. Qui quidem auctor, alios plures trahens, exemplo eſſe poteſt, quam infeliciter, frigido pectore nimiſque ſani ad poemata Hebræorum accedentes, ac eorum interpretatione verſentur, audaciſſima *carmina ita habere, ut ſolutam, et mediocrem, et exſanguem orationem*: atque quàm non jucunditatis ſolum, *ſed et utilitatis habeat de poeſi Hebræorum* ſuſcepta tractatio. Confer etiam ſimilem vaſtationis Idumææ deſcriptionem apud Jeremiam, Jeſaiæ in toto illo capite imitatorem, c. xlix. 18.

109. 26. (43) Malim: *maris.* Nos ubi abyſſum legimus, infinitæ aut

magnæ profunditatis voraginem cogitamus, adeoque alia omnia quam quæ ſunt in mari rubro, brevia plurima habente, nec temere majorem ix cubitis altitudinem. תהום ſimpliciter mare eſt, ab هوم *fluctuavit*, nec aliter primo, quo occurrit, loco accipitur, ubi terræ antiqua facies ita deſcribitur: *caligo erat ſuper facie maris:* id eſt, toti adhuc orbi ſuperſtagnabat aqua, cui immenſo et ſine litoribus mari ſpiſſa incubabat caligo.

(44) Supra (n. 22.) oſtendi, de eximio me carmine, quo majus III. 12.
diviniuſque nullum in Pſalmis Davidis legitur, hic acturum, ubi Lowtho placuit ejus verſionem inſerere: quanquam totam imaginem ex natura petitam exiſtimo, non ex hiſtoria. Lata quidem inter tonitrua lex eſt, ſed ſæpius tonuit: neque hic ulla latæ legis mentio, nihil quod illi procellæ privum fuerit, ſed Deus ſiſtitur in procella auxilio veniens Davidi, qui finis non fuit adventus ad montem Sinai. Deſcribitur autem gravior tempeſtas, non qualis eſt intelligiturque a naturæ peritis, ſed qualis poetis eſſe videtur: unde nec percipi ſatis pulchritudo imaginis poteſt, niſi fictio noſtris auribus nova explicetur.

Stygia ergo ad flumina, de quibus in appendice Prælectionis agam, inque umbrarum vicinia conſtitutus Davides Deum invocaverat. Audit in ſancto ſuo et ſublimi templo preces ex Acherontiis ſedibus fuſas: venit, ſed ut decet ſummum Deum, curru tonante vectus. Intremiſcit pondere terra, v. 8. et fundamenta montium, ut fieri ad graviora tonitrua ſolet, commoventur. Vere

> Sub pedibus mugire ſolum, et juga cœpta moveri
> Silvarum . . . .
> Adventante Deo.

Sæpe victor hoc carmine Dei laudes celebravit rex poeta: mutans ſubinde, ut in ſuo, et ornatiora reddens, ac ſecum ipſe tanquam certans. Quod ergo initio poſuerat, *intremuerunt fundamenta montium*, mutatum deinde repoſuit, *intremuerunt fundamenta cœli:* 2 Sam. xxii. 8. Sunt autem fundamenta cœli, extrema terræ, ubi cœlum ſive circulo proſpectum definienti, ὁρίζοντα dicunt, ſive ſummis montium jugis incumbere videtur. Sic ſutus eſt Latinis

> cœlifer Atlas,
> Axem humero torquens ſtellis ardentibus aptum:

et Alexandrini interpretes Hebraicum מקצה השמים (*ab extremis*

cœli) Jeſ. xiii. 5. verterunt, *ἀπ' ἄκρου* ΤΩΝ ΘΕΜΕΛΙΩΝ τοῦ οὐρανοῦ, *ab extremis cœli* FUNDAMENTIS. Utriuſque locutionis eadem ſententia, niſi quod majus eſt, ſi ipſius cœli fundamenta, ſi cœliferum Atlantem, tonitruum fragore intremuiſſe, quam ſi montes, dicas. v. 9. Montes, gravi procella inſtante, fumare ſolent, jam toti nebula tecti, jam fumi tanquam columnas erigentes: quod, vallium planitierumque incolis fortaſſe ignotum, ſciunt, qui altiores montes, ut Hercynium noſtrum, imbrium et tonitruum prænuntios viderunt. Has ergo nebulas fumo ex irati Dei naſo erumpenti comparat vates: fulmina ipſa ſcintillis, ardentis ab ore abſiſtentibus. v. 10. Appropinquante jam procella, ima magis petere, atque in terram ſubſidere nubes incipiunt, ipſum autem cœlum, grandinis et pluviæ nimium onus ægre ferens, ruere.

> Ruit arduus æther,
> Et pluvia ingenti ſata læta, boumque labores
> Diruit.

Noſtro præſens in nube Deus, Tartareaſque ſedes petens, ipſum inclinare cœlum dicitur, nimbos pedibus ſubſtratos habens. v. 11. Eſſe ſuos Hebræis equos tonantes, Cherubos, alibi expoſui, (in Tomo I. commentariorum Societatis Regiæ Scient. Goettingenſis pag. 157—184.) his ergo Deum vehi ait vates: ſed idem mox fabulam phyſice explicat; alis illum ventorum ferri. v. 12. Caliginoſos deinde fulguratori Deo nubis receſſus dat latibulum, ut Mantuanus:

> Ipſe pater, media nimborum in nocte, coruſca
> Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
> Terra tremit:

ut noſter, neſcio jam quis, ſed numeros et verba memini:

> So wie der Donnergott, indem ſein Zorn erwacht,
> Um ſeinen heitern Thron die Schreckensvolle Nacht
> Der dichten Wolken zieht, die ihn verhüllen müſſen,
> Wenn er die Pfeile ſchärft, und in den Finſterniſſen
> Den lichten Blitz gebiert.

שחקים ima nubium eſſe, a calcando dicta, quod illa ut pavimentum currus volucris calcare Deus videatur, in hiſtoria vitri (§. xi. p. 95.) monui: hi ergo impoſitæ ac conglomeratæ nubes עבי שחקים dicuntur. v. 13, 14, 15. Audax, noſtriſque auri-

[illegible] et tamen proxima veritati physicæ, Dei tonantis [illegible] mare glaciale pro pavimento substernit: (ipsas nempe [illegible] quas nivales et glaciales vapores habere ex grandine colligi-tur.) Hoc ergo vitreum, seu glaciale mare, quod Ezechiel vidisse se memorat i. 22. inque historia vitri §. xi. ex moribus Orientalium illustravimus, Zephyro et fulminibus liquescere, inque imbres resolvi fingunt. Addunt et nubibus inclusum ignem, fulminum materiam, quo intima spissæ noctis luceant: cui circumjectas nubes

radiis ardentes lucis et auro

נגה, id vero est, Auroram seu resplendescentiam inclusi ignis vocant. Ez. i. 27. (Cur autem נגה Auroram vertam, rationes reddam in criticis, quas paro, curis, ad Habbaccuci iii. 4: legant interea, quorum interest, Jes. lx. 3. Prov. iv. 18. conferantque verbum Arabicum et Syriacum; hoc quidem Luc. vi. 11.) Inclusi ergo ignis æstu nubes, mirum in modum ex contrariis elementis, grandine et prunis fulmineis compositas, liquescere et exundare videt poeta, quo et v. 15. pertinet, modo teneamus, quod Schultensius in Originibus Hebraicis docuit, פוץ proprie esse, *diffluere*, המם *liquefacere*. Scio, mihi hoc ante aliquot annos in similis argumenti tractatione monenti, S. V. Barkey aliam, quæ magis ipsi probabatur, opposuisse interpretationem versus 15: *diffluere, seu diffugere fecit hostes,—et tabefecit*, i. e. *vulneravit eos telis*. Judicium lectorum esto: placet tamen mihi adhuc olim dicta sententia, quia non hostium, sed nubium, ex grandine, earumque exundantium proxime præcesserat mentio. Addit v. 17. [illegible]torum descriptionem; sed qui irati Dei flatus ac spiritus vi[illegible]ntur esse. His nudati alvei fluminum mariumque conspiciun[illegible]r, apparentque in imo mari promontoria, solidi orbis funda[illegible]menta: quod pulchrius etiam videtur esse, quam Virgilii illud

His unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit.

Tandem ex nube manum ad humilia umbrarum emittit, Davidemque, Stygia jam natantem cimba, recipit, inque tonante curru collocat, tutum futurum ab hostibus. Quæ utinam Latino carmine eloqui possem! Verum id post x annorum desuetudinem non audeo, nec tam sum inverecundus, ut Lowthi carminibus meum attexam. Soluta ergo oratione interpretari sufficiat:

Concuſſa eſt et intremuit tellus,
Et fundamenta cœli commota ſunt,
Conquaſſabanturque, quia ira ejus exæſtuabat.
Aſcendit fumus in naribus ejus,
Ignis ab ore abſiſtit vorans,
Exeunt ab eo ardentes prunæ.
Inclinat cœlum, et deſcendit,
Et nimbus eſt ſub pedibus ejus,
Equo tonante vehitur volatque,
Et fertur alis venti.
Caliginem ponit latibulum ſuum;
Circa ſe tabernaculum ſuum,
Tenebras aquarum, nubes conglomeratas.
Aurorâ circa ipſum exundant nubes,
Grando prunæque igneæ.
Intonat in cœlo Jehova:
Altiſſimus dat tonitru ſuum,
Grandinem, prunaſque candentes.
Jaculatus ſagittas diffluere fecit illas:
Fulminibus litigans liquefecit eas.
Tum apparuerunt aquarum alvei,
Retectaque ſunt orbis fundamenta,
Ab increpatione tua, Jehova,
Ab halitu ſpiritus naſi tui.

Sunt et alia in deſcribendis tempeſtatibus Orientalibus propria. Tremorem, de quo dixi, montium, ſupra omnem modum dicendo augent. Quam verum, quam non poetæ, ſed pene teſtis et hiſtorici, Virgilianum illud

quo maxima motu
Terra tremit

collatum Jeſaiano: *utinam rumpas cœlum, deſcendas, monteſque coram te ceſpitent, ut igne fomitibus excepto bulliens exſultat aqua*: c. lxiii. 19. lxiv. 1. In nube autem curruque tonante auxilio ſuis venire, Deo toties tribuitur, ut pene proprium fiat. In hunc currum recipi Davidem audivimus. Plus audet Ezechiel. Et equos tonantes plauſu trituque pedum fulmina elicere, ubi per cœlum ruunt, fingit, et præpotentem regem, quem calamitatis inſtar pervaſiſſe alias terras Latini dicerent, ipſi fulguratoris currui jungit: cap. xxviii. 14. *Cherubus eras, inque ſancto Dei monte*

fuiſti, ambulâſtique inter lapides ignivomos: ſed deinde v. 18. *exire juſſi ignem ex te: hic te conſumſit; cineremque te ſparſi ſuper terram.* Magnifica imago, et cui nihil ſimile tentatum a noſtris legere memini.

Quam noſtri poetæ plerumque negligunt horrendam picturam nocturnæ caliginis, eo ſpiſſius offuſæ oculis, quo magis lucido fulmine contracti et excæcati erant, ea mirifice utuntur Orientales, interpretibus tamen, quos vidi, non intellecti. Sic Jeſaias, c. v. 30. *fulminat in terram! Et ecce tenebræ: anguſtia! lux! caligat.* Quo in loco ex Schultenſii Originibus ſumo, נבט eſſe, fulminare; reliqua mihi magnus philologus non aſſequutus videtur. At quid hac horribilius fingi imagine poteſt, mortalis ſublatis ad cœlum oculis Deum exſecrantis, erumpente inter ipſa maledicta fulmine, et infernali aliqua poſt illud nocte ingruente. Habet Jeſ. viii. 21, 22. *tranſibit per terram ſæva omnia paſſus et timidus:* (i. e. ſæviora adhuc timens. رعب, Arabibus eſt, *timere*, quod magis hujus loci videtur eſſe, quam *eſuriens) cumque trepidabit, iraſcetur, et maledicet regi Deoque ſuo, ſurſumque oculos tollet. Verſus terram fulminabit. Anguſtia! tenebræ! obumbratio mali, et caligo palpabilis.* Forte non aſſequutus eſſem imaginem ſatis obviam, niſi interpretem ejus habuiſſem Muhammedem, qui ea aliam in rem utitur. Apoſtatas, qui olim, (ſic vult,) contra Dei decretum humanis viribus crediderant, comparat homini ſub nube ambulanti, fulmine, tonitru, et morte plena, qui, dum fulgurat, luce fulminis videt omnia et ambulat, at ingruente caligine attonitus cæcuſque conſiſtit, vix certus, auditumne et viſum fulmen ſibi et fragor reliquerit. Sur. ii. 16—19.

Sunt in his picturæ, novæ nobis, ſed veræ, grandes, pulchræ, dignæ quas imitemur. Si qua parte noſtri poetæ ex lectione Orientalium proficere cupiunt, has tentent, ſuaſque faciant, tempeſtatum deſcriptiones. Nec mirum: ipſa enim natura ibi terrarum truculentior, nec quidquam Arabicis procellis comparandum. De Pſalmo xxix prudens nihil dixi, ſervans quæ animo inerrabant paginæ 363 novæ editionis Oxonienſis.

(45) Hæc quidem a tranſitu maris Erythræi non petita eſſe, 113. 4
cujus receſſu retegi orbis fundamenta non poterant, ſed a graviore procella, mari magno incumbente, ex ſupra dictis intelligetur.

(46) Notiſſimum hujus licentiæ exemplum Elias, a Malachia 113. 21
pro ſevero morum caſtigatore poſitus. Nullus tamen hac parte Hebraicus poeta audaciam æquat Apocalypſeos, libri, Græcis quidem verbis ſcripti, ſed ſententiis, colore, ſpiritu denique, Hebraico.

Huic alia Ægyptus, Sodoma, Hieroſolyma, Babylon, novus denique Gogus et Magogus, ad Ezechielici imaginem effictus. Tentari ſimile quid et a Jeſaia volunt: nec obſtrepere auſim, ſi de capite lxiii. ſolo id dicatur, ubi ignotus novuſque hoſtis a propheta, vivis omnia coloribus pingente, noto Edomi nomine inſignitur. Sæpe tamen id fieri non exiſtimo, nec cum illis facere audeo, qui tanquam aliquam myſticam geographiam pepererunt. Inſolentius etiam quid tentare videtur Apocalypſis, nec nominibus ſolum, ſed et numeris hiſtoriæ antiquæ uti. Vix mihi perſuadeo, chronologica eſſe, quæ de tribus annis et dimidio, de xlii menſibus, de 1260 diebus habet: ſed ſuſpicor, miſerrima tempora deſcribi, illis ſimilia, quæ per totidem menſes vivente Elia fuerunt. Chronologica, quæ hic multi quærunt, ex libro etiam omnium obſcuriſſimo diſciplinæ omnium obſcuriſſimæ lucem ſe daturos profeſſi, multum abeſſe a vaticiniorum ingenio videntur. Sunt propheticis fere eædem in imaginibus informandis leges, quæ poematis: valde autem frigebit poeta, ſi nimis ſanus numeris rem accurate proſequatur, exponatque, quo die pugnatum ſit, quot ceciderint in acie, et quæ alia ſunt ejuſdem generis. Pictores, poetæ, et prophetæ valde cognati: horum viſionibus explicandis ſi quis leges hermeneuticas condere velit, multa a pictoribus et poetis diſcere poteſt. A quibus artibus alieniſſimi homines, et omnino barbari, ſi ad vaticinia explicanda accedant, non mirum eſt, omnia eos proprie accipere, ac tum demum ſibi ſapere videri, quando figmenta et monſtra procudunt chiliaſtica. Memini, qui id agens gloriaretur, a ſe primo intellecta prophetarum et Joannis vaticinia, ſe primum eos equuleo detraxiſſe.

115. 4. (47) Non tempero mihi, quin capitis xxxi Jeremiæ mentionem faciam, in quo perpetua fere ad hiſtoriam Jacobi alluſio dominatur. Joſepho jus primogenituræ dederat Jacobus, 1 Paral. v. 1. hinc de Ephraimitis ex Aſſyrio exſilio reducendis, nec jam inferiore loco, quam Judæi, habendis: *Ephraim eſt primogenitus meus.* v. 9. Rahela, filiorum cupidiſſima, cumque gemitus ex partu mortua, v. 15. ex ſepulchro exſiſtere fingitur, nec jam ſe, ſed filios plorare, quod perierint. At illi reduces ab exſilio filios, dolorumque et laboris mercedem promittit Deus; verbis quidem ex ore Leæ raptis: v. 16. Geneſ. xxx. 18. Quanquam hæ partim ſunt alluſiones potius, quam imagines.

EPIMETRON

DE IMAGINIBUS EX FABULA POETICA.

MIRUM eſt, eam imaginum partem intactam a noſtro relinqui, quæ maxime in omni poeſi dominatur, petitarum a fabulis poeticis. Nulla eſt ſuſpicio, fabulas indignas poemate ſacro viſas eſſe viro, ad Muſarum ſecreta admiſſo, et probe intelligenti, quanto intervallo a mendacio ſejunctæ ſint. Fabulas enim qui confingit, non vult dicta proprio ſenſu accipi credique, riſurus etiam, ſi quis tam vecors eſſet: ſed delectat et ornat, illudque verum, quod proprie enuntiatum ſola mente arriperemus, ſenſibus etiam objicit, tale deſcribens, quale illud ſolis ſenſibus opinionibuſque vulgi facem præferentibus, ſine philoſophiæ ope, informaturi eramus.

Non animus mihi eſt, de toto fabulæ poeticæ genere diſputandi, ſed in exemplis oſtendendi, quomodo ea Hebræi utantur: in quo illud maxime inexſpectatum, et præter plerorumque opinionem accidit, quod fabulæ Hebraicæ Græcarum Latinarumque ſimillimæ, nec raro eædem ſunt. Non ergo ſingularia poematis Hebraici hic diſcemus, ſed majorem ejus, quam ſperari poterat, cum Græco Latinoque convenientiam: quæ ipſa multis fraudi fuit, ad ea, tanquam nova et proprie dicta, ſtupentibus et adhæreſ-

centibus, quæ in Græco Latinoque carmine ne opera quidem data male interpretari potuiſſent. Minus videri tantus concentus poſſet: natura enim cum eadem ſit, imagineſque ab illa petitæ ſui apud diverſiſſimos populos ſimiles, at fabulæ licentia infinita habet divergia, nec contingere ſolet, ut idem plures fingant, niſi ex communi fonte fabula profluxerit. Hunc autem communem fontem indicare, non difficile videtur, Ægyptum. Ex hac ſuas imagines fabulaſque Homerum, alioſque poetas Græcos tranſtuliſſe, priſcis jam obſervatum eſt, Herodoto maxime et Heliodoro: nec mirum, idem Hebræos feciſſe, Ægypti per duo ſecula alumnos. Antiquiſſimum Hebraicum carmen, Jobi nomen præferens, imaginibus Ægyptiis abundat, fabulis etiam: ſed de illo jam non dicam, quia duplici commentatione, Societati Scientiarum recitata, *de Jobo Ægyptio* egi, *ſeu de crebris alluſionibus ad res Ægyptias in libro Jobi.*

Initium ab eo faciam, quod neminem non daturum ſpero. Nihil apud noſtros vulgatius fabula de ſole mari immerſo, nocturno ibidem hoſpitio excepto, amoribuſque etiam per noctem indulgente. Sed et eadem Hebræorum poetis nota, tamque familiaris, ut ne a vulgari quidem proſæ orationis uſu abhorreat, quo ſolem occidentem *intrare*, (בוא) lunam *hoſpitio excipi* (האסף) dicunt. Audaciora et poetica ſunt illa Pſalmi xix. quibus naturæ de Deo præconium tanquam nullibi non terrarum audiendum deſcribitur, v. 5, 6:

Orbis et extremus patulis vocem auribus haurit,
Quibus locis ſoli domum
Condidit omnipotens.

Egreditur ſponſo ſimilis, lectoque cubili
Exſultat, et dulcem ad thorum
Itque reditque viam.

Nec abludit Atlantici maris deſcriptio, noſtro pag. 197. non ſatis intellecta, Pſ. cxxxix. 9, 10.

Si alas Auroræ attollerem,
Quieſceremque in extremo mari:
Etiam ibi manus tua me duceret,
Prehenderetque dextera tua.

Alas Auroræ attollere, eſt, iiſdem, quibus Aurora, alis, aut æque citis, avolare, Oceanique ultima petere, ubi et Aurora condi, Tithonique inire cubile fertur. Aliquid tamen inter fabulas Græcorum et Orientalium diſcriminis. His enim ſol currit, Aurora alas habet: illi, Perſarum forte morem imitati, equos ſoli et currum dederunt; quod poetas facere Hebræos non memini, licet in cultu ſolis etiam equorum illi ſacrorum mentio fiat [a]. Mari tinguntur Græci Latinique ſoles: Arabici fonte ferventis aquæ ſeu thermis, quem fontem nimis credulus Muhammedes ab Alexandro Magno viſum narrat: c. xviii. 84. dignus ob turpem errorem, qui ab interpretibus ſuis, turpius etiam erraturis, male explicaretur. Hi enim pro fonte ferventis aquæ, (عين حمئة) ridicule ſubſtituerunt fontem luti nigri.

Volucrem Jovi currum et tonantes equos Græci Latinique dederunt, invitante ſoni ſimilitudine, quæ currui agitato cum tonitru intercedit. Idem et Hebræi audent, quorum Cherubi, ipſiſſimi ſunt equi to-

[a] 2 Reg. xxiii. 11

nantes: quod quidem hic jam ſumo ex commentatione de hoc argumento[c] ante quinque annos edita. Erant multa, quæ addi illi commentationi poſſent, confirmatura ſententiam et illuſtratura: ſed id ab hoc loco alienum, ubi id modo agitur, ut poematis Hebraici ornamenta et decus exponam. Id quidem jam intelligetur, quam grandiſonum ac vere poeticum ſit illud, quod pene ut ſententia caſſum negligitur, toties apud prophetas obvium, יהוה צבאות יושב כרובים, *Jehova, Deus, exercituum* (id vero eſt, Deorum: exercitus enim cœli ſunt angeli et ſidera, pro Diis in Oriente culta, a quibus et eorum cultores Sabii صابيون dicti) *ſedens in Cherubis:* quod forte noſtris auribus magis probabitur, ſi Platonis verbis Græce reddas: ὁ μέγας θεῶν ἡγεμὼν, ὁ τὸ πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων. Jam non inanis nominum compilator, ſed poeta videbitur, qui Pſalmum xcix. ita exorſus eſt, vates:

Jehova rex factus eſt, contremiſcunt gentes:
Sedet in Cherubis, nutat terra:

id vero eſt, intonuit, ut terra fragore nutet, ſeu, interprete Horatio:

Jehova per cœlum tonantes
Egit equos, volucremque currum:
Quo bruta tellus, et vaga flumina,
Quo Styx, et inviſi horrida Tænari
Sedes, Atlanteuſque finis
Concutitur.

Major Pſalmi lxviii. audacia, glomeratis undique, in-

[c] In tomo i. commentariorum Societatis regiæ Scientiarum Goettingenſis, pag. 157—184.

que Chorebum coactis nubibus, millies millenos equos tonantes tribuentis: v. 18. ac nova Psalmi lxv. elegantia, cui, quocunque invehitur Deus, cœlum ruere pinguedine videtur: v. 12. De aliis locis, ut Ps. xviii. 10. civ. 3, 4. Habbac. iii. 8. aut egi, aut alia occasione agam. Hic indicâsse sufficit. Est autem in hac fictione pulcherrimum, quod ipsa pene natura ad illam delabimur: unde nec remotissimis a Græcia Palæstinaque gentibus ignota est. In Suecia quidem audio, rusticos vulgo etiam, ubi tonat, dicere, *bonum senem curru invehi*, (*God-Gubben aker*) atque in majore fragore, *rotam boni patris frangi, clavumque excidere:* (*God-Far har forlorat en Spik uur sitt hjul.*) Nescio autem, an nemo magnificentius et illustrius hac imagine usus sit, Miltono; quem legens, quis non stupet, ubi post rem ab angelis male gestam filio suo Deus currum tonantem concedit, quo vectus certam per totum agmen hostium stragem edit. Displicet illi comparatus alius, nescio jam quis, ejusdem gentis poeta, qui angelum nubi tonanti moderatorem imposuit: quod nec Christianum, nec Orientale, nec Græcum, nec Romanum, nec sensuum judicio, majus quid in tanto terrore suspicantium, ita aptum, ut contra omnium pene populorum sententiam, fulmen soli summo Deo tribuentium, confingi debuerit. Sunt etiam ex nostris, qui Orientalia poemata imitari tentantes, partim sui ingenii magnitudini, partim rei novitati, alii etiam nostri temporis imperitiæ et tumori, acceptum referre debent, quod placuerunt, non imitationi, ex qua pene quidquid habent vitiosum est. Ac mirum profecto foret, si res aliter accidisset: ut enim sunt literarum Orientalium multum infra mediocritatem periti vel eruditissimi eorum, ita nec noverant,

quos imitari decreverant, niſi ex verſionibus ſatis mediocribus. Hi autem infeliciſſime in imagine Cheruborum verſari ſolent, qua eo delectantur impenſius, quo minus nôrunt, qui Cherubi ſint, ac tum demum Eoo ſibi igne caluiſſe videntur, cum alieniſſimo idemtidem loco ſuos attexentes Cherubos Seraphoſque, Orientalium rerum imperitos ignoto ſono obtundunt, peritis etiam ſtomachum movent.

Alia eſt celebratiſſima de tempore aureo fabula, quam ita pene per omnia Græcis Latiniſque ſimilem habent Hebræi, ut manifeſtum ſit, ex communi eam fonte ad utroſque dimanâſſe. Exemplo ſint tria Jeſaiæ vaticinia, in quibus regnum Meſſiæ iiſdem fere coloribus deſcribit, quibus Virgilius in Ecloga iv. felicitatem Romæ ſub Auguſto: cap. ii. xi. lxv. lxvi. Fingit nempe, pacatiores jam populos non belli fortunæ lites ſuas commiſſuros, ſed judicio Dei experturos: bella ergo eo uſque deſitura, ut ne armorum quidem uſum populi diſcant, armaque in falces et vomeres conflentur, c. ii. 4: virus ſerpentibus[d], feritatem belluis demtum iri, ut pardi et hœdi in eodem loco recubent, adultuſque leo gregalis ſit vituli, lupus agni, parvo puero paſtore, cumque omnia animalia iracundiora et ſæviora ſoleant eſſe, quando fœtus de-

[d] Virgil. Ecl. iv. 22, 24.

nec magnos metuent armenta leones.
Occidet et ſerpens, et fallax herba veneni
Occidet.

Nempe ante Jovem non venenati ſerpentes:

Ille malum virus ſerpentibus addidit atris
Prædarique lupos juſſit, pontumque moveri.

Georg. i. 129, 130.

fendendos natura illis credidit, bos tamen et urſus eodem in loco fœtus deponant: victum etiam mutaturas belluas; carnivorum enim leonem, palea, qua triturantes boves veſci ſolent[e], contentum fore, ſerpentes pulvere, quem lambere videntur, nec vivi quidquam attingere auſuros[f]: puerum cum aſpide luſurum, parvulamque manum verſus baſiliſcos porrecturum: c. xi. 6—9. lxv. 25. cœlum quoque aliud fore, alium ſolem illuſtriorem et indulgentiorem, aliam lunam, terram denique, ea pulchritudine et temperie, ut hujus cœli et terræ deſiderium neminem ſubiturum ſit; c. lxv. 17, 18. xxx. 26. lactis itura, mellis, vini flumina Joel. iv. 18: incredibilem longævitatem, qualis ſub aurea illa mundi primordia fuit, mortalibus redituram, indeque eventurum, ut diu lugubre carmen, fletuſque, et triſtis illa tibia non audiantur: nec temere eventurum, ut puer ante centeſimum annum

[e] *Et leo, ut bos, comedet paleam.* Jeſ. xi. 7. Sententia valde mediocris, ſi ex noſtris moribus explices; lucidiſſima, ſi ex Hebraicis. תבן *paleam* recte verterunt veteres: eſt tamen palea Hebræorum a noſtra quodammodo diverſa, تبن Arabibus *ſtramen* eſt, *triturando diſſectum*, quod granorum non omnino inops eſſe ſolet; delicatior bovis triturantis cibus, quo libere eum veſci voluit Moſes: Deut. xxv. 4.

[f] Carnivoros ſerpentes eſſe, ideoque illis venenum a natura datum, ut necare prædam poſſint, non ignorant naturæ periti. Humi tamen repentes veſci pulvere Hebræis dicuntur, prorſus ut Latinis, qui humi procidunt. Sic Virgil. Æn. xi. 418.

Procubuit moriens, et humum ſimul ore momordit,

v. 668.

Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum.

Hinc fingere auſi poetæ, cibum ſerpentibus pulverem fore.

(centenarii enim, in illa longævitate, pueri habentur) fato fungatur: malus autem, ſi centum annos natus cita morte abripiatur, manifeſtum fore irati Numinis indicium: nec fore amplius, ut arbores ferant alteri ſeculo profuturas, ſed ſibi plantaturos vineas, ſibi ſtructuros ædes, vivo adhuc et ſuperſtite architecto collapſuras: arborum ergo ætati, eſculo, quæ ut nunc res ſunt,

Multa virûm volvens durando ſecula vincit,

aut terebintho, æqualem futuram ætatem hominum[g]: eaſdem ædes atavos, proavos, patres, ſilios, nepotes, pronepotes, abnepotes, conjuncturas, nec in ſpem brevis fructus ac voluptatis liberos ſuſceptum iri: Jeſ. lxv. 20—23. cultui etiam divino priſcam redituram ſimplicitatem, templorum, ſacrificiorum[h], thuris inſciam, qualem fuiſſe ſingunt,

Ante etiam ſceptrum Dictæi regis, et ante
Impia quam cæſis gens eſt epulata juvencis,

iterumque pro parricidio habitum iri, bovem, laboris

[g] Maxime ex arboribus longævæ æquant circiter vitam hominum, qualis ante diluvium fuit. De quercu vide Celſium lib. i. Hierob. p. 69, 70. Diverſa illarum pro cœli terræque ingenio ætas. Multo citius ſeneſcere in America memini Kalmium referre in itinerum commentariis. Apud nos poſſe decimum ſeculum vivendo attingere, tertio adultas, quinto ſeneſcere incipientes, ex rei peritis compertum habeo. Terebinthi, Palæſtinæ familiariſſimæ, admodum vivaces ſunt: de [illegible]ibus, aliiſque longævis arboribus, confer omnino Celſii hiero[illegible] P. i. pag. 45—51.

[h] Totum hoc fabuloſum eſt; hiſtoria enim Moſaica jam in Adami familia ſacrificia et incruenta et cruenta memorat. At hæc aliis gentibus recentiora, quam ſunt, viſa, fabulæ ornandæ adhibebantur.

ſocium, mactare: cœlum ergo pro ſolo Dei templo, thura, hoſtias, molam etiam ſalſam (מנחה) pro inquinamentis altarium, habitum iri, c. lxvi. 1—3. quibus qui utatur, ut idololatram Deo pœnas daturum: v. 4, 5. lxv. 4. 11, 12.

Non tam indoctos lectores mihi aut fingo aut expeto, ut opus habeant doceri, eandem apud profanos fabulam aureæ ætatis informari, niſi quod hi et agriculturam Saturnio ſuo regno negant, quod non facere Hebræos vidimus. Pueris illa nota ſunt. Et tamen mirum eſt, quid hic tentent plerique, (omnes, pene dixiſſem) interpretes: id nempe, quod ſi quis in ecloga iv. Virgilii faceret, hi ipſi viri riſum tenere non poſſent. Alii enim myſtice omnia, ut ænigma aliquod, non ut pulchram picturam a poeta propoſitam, nimis diligenter exponunt: multa quærentes ac diſputantes, qui ſint ſerpentes myſtici, qui leones, (tyranni nempe) qui lupi (hæretici, credo) qui urſi, boves, vaccæ, hœdi, agni: jam de pace ſpirituali cogitant, longævitatem etiam myſtice, (oblitus ſum, quomodo; ac tædet relegere) interpretantes: alii contra proprie omnia accipiunt; qui ſi Judæi ſunt, objectant nobis perpetua in Europa bella, quæ tamen tempore Meſſiæ deſitura cecinerit Jeſaias; ſin Chriſtiani, regno millennario hanc longævitatem hominum incredibilemque inter mortales felicitatem ſperant, hac mercede, ut a theologis ſecus ſentientibus invidioſo chiliaſtarum nomine notentur. Mirari autem ſubit, qui verum non videant viri, quod pueri in Virgilio viderant: atque cur ſimillimum Jeſaiæ carmen aliter, operoſiuſque explicent, quam Virgilii eclogam quartam? idque ii etiam faciant, qui multo plus audaciæ in poetis Hebræis, quam in Græcis et Latinis agnoſ-

cere ſibi videntur, ſemperque figurarum Orientalium crepant inſolentiam. Ferretne enim lector Virgilii, non omnino iratis Muſis natus, ſi quis totam illam eclogam proprie accipiens, ſomniaret, credidiſſe Virgilium, illo tempore, quo in cunis adhuc vagiret Saloninus, ſerpentibus herbiſque noxiis vacuam jam terram fore, ut pro cunabulo eſſe puero poſſet, cum hæc ſcriberet,

> Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores,
> Occidet et ſerpens, et fallax herba veneni
> Occidet:

Aut incultis ſentibus uvam naſcituram? ceſſurum mari vectorem? non raſtros paſſuram humum? et quæ ejus generis plura ſunt? At quis riſum teneret, ſi hæc vitaturus interpres, inquireret, quæ ſint capellæ v. 21. (provinciæ forte Romanæ) qui leones, v. 22. (Germani et Parthi) quæ armenta, (legiones Romanæ) qui ſerpens, quæ herba venenata v. 24. (mali cives, noviquc belli ſemina, prætextu libertatis grata) quæ in ſentibus uvæ v. 29. (virtutes, quibus mali ad frugem redeuntes ſtudebunt.) Equidem hic mihi maxime intelligere videor, quanta interpreti ſacrarum literarum in poeſi ſit utilitas: vix enim dubitandum, quin Popius, Jeſaiana hæc pulcherrimo carmine imitatus, plus in illis veri viderit, quam qui vaſtæ molis commentariis prophetam obruerunt. Deſcribitur nempe felicitas regni Meſſiæ, quantam cogitatione aſſequi maximam poſſis, utque omnia ſupra modum fauſta animo concipias, aureæ ætati comparatur, in qua ornanda omnes ſuas opes fabula profudit: ſanctior præterea Dei cultus, impedimentis ceremoniarum Leviticarum exſolutus, æquitatis præcepta

late per orbem cum veri Numinis religione ſparſa, moreſque gentium manſueſcentes.

Pergo ad beatorum inſulas, et flumina inferorum: de quibus cum plenius dicere animus ſit, veniam a lectoribus petere, opus habeo, quibus pro deliciis poeticis commentationem pene aliquam ex antiquitate offero, grammaticus potius, poetarumque interpres, quam ſacro adflatu perculſus poetarum auditor. Concedant mihi, hic aliquando effundere, quæ de argumento, ad poeſin unice ſpectante, collegi, eorumque ope difficillima codicis Hebraici loca illuſtrare: quam ſi veniam nimiæ diligentiæ, explicata fabula poetica, quam apud Hebræos nemo ſperâſſet, illuſtratiſque eximiis Jobi carminibus, redimere non poſſum, omittant in legendo, quæ minus delectationis habent Lowthianis.

Ac de beatorum quidem inſulis, Græcorum fabula nobilitatis, dicere animus non eſt, poſtquam hoc argumentum Illuſtris noſter Geſnerus [i] ita tractavit, ut aut compilandus mihi ſit, aut tota hæc diſputatio prætermittenda. Ad Celtas illa dimanavit, quibus Britannicæ quædam inſulæ ſedes beatorum habebantur, ſuique erant portitores umbrarum, a tributis etiam immunes. Sed et hoc prætermitto, a Simone Pelloutier tractatum [k]: id unum monens, Celticas has fabulas, deque animis poſt mortem ſententias, Pythagoreas, id vero eſt, Ægyptias toto colore et habitu eſſe, neque a Scythis arceſſendas videri, qui-

[i] In *programmate de Elyſio, et inſulis beatorum*, (1755) multoque uberius et ornatius, in *geographicis, de inſulis beatorum*, quæ hoc ipſo anno (1757) Societati Regiæ Scientiarum recitavit: quæ utinam non diu in ſcriniis ejus lateant!

[k] Hiſtoire des Celtes, Livre iii. chap. xviii. §. 9.

buſcum atque cum Germanis nulla Celtis Galliſve cognatio, nec generis nec linguæ. Quod quidem poſt Schœpflinum, atque edita vocabularia antiquæ linguæ Gallicæ [l], non opus eſt novis argumentis confirmari.

His ergo miſſis, primo moneo, originem fabulæ Ægypto referendam videri. De Eſſenis quidem, domicilio plerumque, philoſophia, ſententiis, diſciplina, Ægyptiis magis quam Judæis, Joſephus narrat [m], *Græcis eos hac parte ſimillimos, oſtendere bonis alteram ultra Oceanum vitam, locumque imbribus, nivibus, æſtu liberum, quem lenis ab Oceano ſpirans Zephyrus recreet: eodemque modo videri ſibi Græcos viris fortibus beatorum inſulas deſtinâſſe.* Eadem apud Indos fabula, quorum Bramanes tota philoſophia, et moribus, Ægyptii ſunt: niſi quod hoc addunt, flumina ignis, tenebrarum, lactis, et aquæ, trajicienda piis eſſe [n]. Nec dubito, quin fabulæ, Græcis, Gallis, Indis, communi, natales in ea Ægypto ſint, quæ opinionibus, ſuperſtitionibus, hieroglyphiciſque ſuis imaginibus, utriuſque orbis populos tanquam aliquo ſuo colore infecit, cultiſſima olim, omniſque ſapientiæ et artium habita metropolis. In moribus enim, ſepultura, religionibus Ægyptiorum, ita tanquam pellucet

[l] Vide Gottingiſche Anzeigen von Gelehrten Sachen, 1750. p. 387. ſqq. 1050. ſqq.

[m] L. ii. de B. J. c. viii. §. 11. καὶ ταῖς μὲν ἀγαθαῖς (ψυχαῖς) ὁμοδοξοῦντες παισὶν Ἑλλήνων, ἀποφαίνονται τὴν ὑπὲρ Ὠκεανὸν δίαιταν ἀποκεῖσθαι, καὶ χῶρον, οὔτε ὄμβροις, οὔτε νιφετοῖς, οὔτε καύμασι βαρυνόμενον, ἀλλ' ὃν ἐξ ὠκεανοῦ πρᾶος ἀεὶ ζέφυρος ἐπιπνέων ἀναψύχει.—Δοκοῦσι δέ μοι κατὰ τὴν αὐτὴν ἔννοιαν Ἕλληνες, τοῖς τε ἀνδρείοις αὐτῶν, οὓς Ἥρωας καὶ ἡμιθέους καλοῦσι, τὰς μακάρων νήσους ἀνατεθεικέναι.

[n] Vide *Jo. Lucæ Niecamp hiſtoriam miſſionis in India Orientali* P. ii. cap. x. §. 15.

ubivis mortuorum trans flumina aut maria ſedes, ut facile veram patriam fabulæ agnoſcas, in tot colonias dimiſſæ. Buto quidem, mortuorum Dea, in Buticis paludibus templum habuit, natantibus inſulis ſuperſtructum: de quo templo loca veterum collegit Jablonſkius, non a me repetenda, ipſaque de Dea ita copioſe diſputavit, ut, licet ipſe neget inferorum Numen eſſe, larga tamen manu afferat, quæ pro hac ſententia, mihi veriſimiliore viſa, dici poſſunt [o]. Eidem genti conſuetus in ſepultura ritus Charonti Græcorum et Latinorum originem ſine dubio dedit, ipſis id Græcis fatentibus: die enim ſepulturæ ſtatuto, indicatoque nomine mortui, qui lacum trajecturus erat, conveniebant ad lacum judices, in quo navigium præſto erat, cujus gubernator lingua Ægyptia Charon dicebatur. Antequam navigio imponeretur mortuus, poteſtas omnibus erat illum accuſandi. Quodſi accuſator aut nullus exſiſteret, aut refelleretur, cimbæ impoſitum cadaver, lacu trajecto, ad ſepulchrales agros devehebatur [p]. Regum etiam ſepulchra, pyramidum molibus

[o] In Pantheo Ægypti, l. iii. c. iv. toto: de templo quidem §. 3. agit, et §. 7. ex lingua Coptica confirmat illud Heſychii, *Butos* Ægyptiis dici loca in quibus mortui reconduntur.

[p] Diodorus Siculus, l. i. c. 92. pag. 82, 83. (al. 58.) Niſi fallor, ejuſmodi cimba feralis proprie תבה dicebatur, aut Hebræis aut Ægyptiis. Navigii genus fuiſſe, et vero Ægyptii ac Nilotici, non dubito. Arca certe eſſe non poteſt, in qua Noachus navigavit, תבה perpetuo dicta, (Geneſ. vi. 14. &c.) quod, qui navigium vidit, facile concedet: nec arcæ quadratæ, Nilo innatanti, credi puer potuiſſet, Exod. ii. 3. quippe quæ volveretur, nec poſſet in aqua conſiſtere. Niloticum autem Ægyptiumque navigium eſſe ſuſpicor, tum, quia in frequenti ſatis navigiorum per ſacrum codicem mentione nomen, תבה, ſi ab hiſtoria diluvii diſceſſeris, (cujus tempore nulli adhuc Ægyptii, Judæi, Græci)

inclufa, in infulis fita fuiffe, quas arte fecerant intromiffa Nili aqua, teftis eft Herodotus [q].

Hos ergo inter educatus Mofes, hieroglyphicaque eorum difciplina, cui tantum debet Græca mythologia, initiatus, nonne ad fabulam de infulis beatorum alludere videtur, cum in eximio carmine, quod inter Pfalmos nonagefimum locum obtinet, et hæc habet v. 10:

> fugientes [r] noftri anni ærumna funt dolorque:
> trajicit [s] feftine, et avolamus.

nufpiam occurrit, nifi de navicula papyracea, cui concreditus Mofes Nilo innatavit; tum quod eo in loco Græci, aliter in hiftoria diluvii reddentes, Hebraicum nomen retinuerunt, Græcumque fecerunt; quod et facere alias in rebus Ægyptiis folent, Græca civitate nomina Ægyptia donantes. Nec obftat meæ conjecturæ, quod ingens Noachi navis a Mofe תבה dicitur: quo indicari videtur non magnitudo, fed genus ac ftructura navigii, Niloticis navibus fimillimi. Hoc vero navigiorum genere in devehendis mortuis maxime ufos Ægyptios, nominis indicio deprehendere mihi videor: eft enim תבה Arabice تبوة *feralis arca*. In quibus, fi qua incerta funt, id tamen negari nequit, תבה navigium effe, neutiquam ciftam feu arcam. Cur autem LXX. in hiftoria diluvii *κιβωτὸν* verterint, jam difputare non vacat.

[q] L. ii. c. 124. *τὰς ἐποιήσατο θήκας ἑωυτῷ ἐν νήσῳ, διώρυχα τοῦ Νείλου ἐσαγαγών.* Vide et Pocockii defcriptionem Ægypti, p. 44. fumma.

[r] רהב quod alii ex conjectura, loco *Jef.* xxx. 7. parum concinente, fuperbiam interpretantur, *fugam* annorum reddidi, a رهب *timere*, proprie, *fugere*. Ex hac fignificatione accepta et alia loca codicis Hebraici lucebunt, ut, cum de Ægyptiis, obfeffæ Samariæ opem ferre non audentibus, alludens ad nomen Ægypti proprium Jefaias, c. xxx. 7. *Rahab, feu, timidi illi funt fedendo:* aut c. lx. 5. *tunc cohorrefcet et pavebit cor tuum.*

[s] גז Arabibus eft trajicere, unde [illegible]ui in Africam trajecerunt Æthiopes, fuæ linguæ nomine G[illegible]dicuntur. Trajicit autem feftinans Stygia cimba. Trajiciendi vim in verbo jam intellexit

Ubi *avolare*, nisi fallor, est vela dare. Cum enim simillima sint, volatus, et navigatio, alis ille, hæc velis utens: a poetis atque etiam a fabularum conditoribus alterum pro altero poni solent. Sic eum, qui Creta in Italium navigavit, Icarum volâsse fabula narrabat, quam cum allusione ad veritatem narrans Virgilius, reique, ut gesta erat, imagine, novitatis gratiam habitura, convestiens, et *remigium alarum* dixit, et illud,

Insuetum per iter gelidas ENAVIT ad Arctos.

Est et alius Mosis locus, quem contra omnium interpretum consensum solus Paulus ita intellexit, ut, *trans mare*, idem sit atque, *in sepulchro, campisve Elysiis*. Nempe, non jam poeta, sed orator, Moses, de futura aliqua cordis circumcisione [t] loquens, cujus umbra modo et imago in circumcisione carnis erat, novumque hoc præceptum a facilitate et intelligendi et obsequendi commendans, *lex*, inquit [u], *quam tibi nunc præcipio, nec mystica* [x] *nimis est, nec extra tuam potestatem posita. Non in cælo est, ut dicere opus sit:*

Salomon Isaacides, monens, Num. xi. 31. hoc significatu occurrere. Forte et נגן מכם Ps. lxxi. 6. proprie est, *transfretare ex utero*, pro *nascendi sortem dare*. Græcis certe status ante nativitatem, non minus quam post mortem, ᾅδης: formarique in utero Hebraeis est, *formari in imis terræ* Ps. cxxxix. 15. Possent ergo et qui nascuntur dici, *trajicere inferorum flumina*. Disquirant alii, alludaturne ita ad fabulam aut philosophema de migratione animarum, quod poeta facere salva veritate potest, licet reverti mortuorum animas in nova corpora non credat.

[t] Deut. xxx. 6.

[u] V. 11, 12, 13.

[x] Vide Beurtheilung der Mittel, die ausgestorbene Hebraische Sprache zu erklaren, § 42. p. 244.

quis aſcendet nobis in cælum, accipietque et promulgabit eam nobis, ut faciamus? Nec ultra mare eſt, ut dicendum ſit: quis mare trajiciet nobis, accipietque et promulgabit eam nobis, ut faciamus? Ad hæc ergo verba divus Paulus, reliquis interpretibus omnibus aut imperitior aut doctior, ἢ τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; τοῦτ᾽ ἔςι, Χριςὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν. Rom. x. 7. Vix excuſari potuit interpretibus Paulus, in maris mentione a Moſe facta de ſepulchro et inferis cogitans; quanquam leniter cum illo, ut cum apoſtolo, agere ſtatuerant. Fuit etiam, fateor, illud tempus, quo et ego de Pauli interpretatione excuſanda, et approbanda mihimet ipſi, laborabam: neque vero negabam auditoribus meis, æſtuare me, ac cupere, ut curatius aliquando diſpicientes, meliora meis invenirent. Ingenuo enim doctore dignum judico, non modo non fucum facere diſcendi avidis, ſed et ultro fateri, quæ ignoret, atque ubi partis eruditorum opibus aliquid addi poſſe ſuſpicetur: idque ad inveniendam veritatem, ut ſua natura aptum proximumque eſt, ita tunc viam mihi monſtravit. Monebat enim aliquis ex auditoribus, cujus nomen hic honoris cauſa legi velim, *Ipſenius*, Holſatus, *cogitari forte de ritu Ægyptiorum poſſe, qui mortuos trans ſtagnum ſepeliverint, unde Charontis cimbam natam aliqui ſuſpicentur.* Quod ut ſemel audivi, ita arripui, meumque feci, ut mirarer, et non antea animum ſubiiſſe, et quemquam de alio mari cogitare, quam de illo, ultra quod beatorum inſulæ ſunt, potuiſſe. Moſeſne enim mare intellexerit, ſive mediterraneum, ultra quod gentes habitabant, ejus tempore ab omni ingenii et ſapientiæ cultu alieniſſimæ, a quibus legis myſticæ arcanos ſenſus nemo petat? ſive Oceanum, ultra quem mortales degere illa ætate in-

certum, ac, ſi qui ibi habitarent, barbari habebantur? Cœlone, in quod aſcendendum ſit, ad myſteria cerimoniarum explicanda, opponat regiones tranſmarinas? ac non potius inferorum ſedem, ipſo cœlo non minus a nobis ſejunctam? At hæc et facillima intellectu, et graviſſima ſententia: *præceptum, quod nunc vobis inculco, de unico Deo agnoſcendo et amando, (quæ animi eſt circumciſio) diſſimillimum eſt meorum reliquorum, quibus arcani ſenſus ſubſunt, non initiatis impervii. Non opus eſt, ut aliquis ex cœlo doctor deſcendat, vobiſque mentem ejus ac finem ediſſerat: non ut trans mare ad beatorum inſulas quis eat* [y], *atque a mortuis diſcat, quid obſcurum ſibi velit præceptum. Facilia omnia et expedita ſunt, nec manibus, ut meæ de cerimoniis leges, ſed ſolo ore et corde perficienda.*

Sed iſta oratoris ſunt. Ad poetas redeamus quorum hæc propria eſt licentia. Sic ergo Jobus, cujus carmen brevi ante exitum ex Ægypto, conſignatum mihi videtur, c. ix. 25, 26.

Dies mei velociores ſunt curſore,
Fugiunt, non viſa voluptate:
Tranſeunt cum navibus papyraceis,
Ut aquila irruit ſuper eſcam.

[y] Illuſtrandæ locutioni adſcribo, quæ alia omnia tractans, nec de Moſe cogitans, habet Pelloutier, pag. 549 hiſtoriæ Celticæ, l. iii. c. 18. § 9. Poſtquam enim narraſſet, Britanniam olim Gallis beatorum umbrarumque inſulam viſam eſſe, addit: *Il ne faut pas être ſurpris après cela, que les Druides publiaſſent, que leur doctrine avoit été apportée de ce païs la. C'étoit lui aſſurer une origine Céleſte et divine.* Rem ſi ſpectes forte erravit, ſi ex Britannia doctrinam petebant Druidæ, Hiberniam facientes beatorum inſulam. Phraſin tamen Moſaicam ex hoc ipſo errore luce perfundere liceat.

Fateor, hæc dici potuiſſe, etiamſi nullæ ſint beatorum inſulæ, quamquam magis lucent, ſi hæc fabula animo obverſetur: ſed audiamus, quid illis reponat Sophar, clarius jam ad ſedes umbrarum ultra Oceanum alludens, c. xi. 16, 17, 18: *ſi ad frugem redieris*,

Obliviſceris ærumnæ,
Aut recordaberis ejus, ut aquæ, quæ effluxit.
Et poſt meridiem[z] ſurget felicius ævum[a],
Avolabis[b], mane erit[c].
Confides, quia ſpes eſt:
Effodies[d] ſepulchrum, et placide cubabis.

Hæc ſi adhuc dubitabilia videri poſſunt, ſupereſt locus multo illuſtrior, ubi præcipitem ex hac vita ma-

[z] i. e. poſt æſtum malorum.

[a] خلد eſt *felicius ævum, virens ſenectus*, ipſa denique *immortalitas*. Verbi frequentiſſimus in Corano uſus, in æternitate voluptatum paradiſi deſcribenda. Pro immortalitatis notione, quæ maxime hujus loci eſt, adſcribere liceat claſſicum dictum Corani, c. xxi. 8. ubi Deus Arabibus, urgentibus prophetam ut miracula edat, reſpondere fingitur: *non miſimus ante te ad illos, niſi meros homines,—nec fecimus illos tali corpore, ut cibo carere poſſent, neque fuerunt* (خالدين) *immortales*: ibidemque v. 35. *nec dedimus hominibus ante te* (الخلد) *immortalitatem. Tune cum mortuus fueris, adverſarii tui erunt* (الخالدون) *immortales?*

[b] i. e. vela dabis. Vide ſupra ſcripta de Pſ. xc. 10.

[c] Conſuetum poetis Hebræorum, mortis tempus nocti, reſurrectionem Auroræ et illuceſcenti diei, comparare. Vide Pſ. xlix. 13, 15.

[d] חפר *fodere*, notum eſt. Eo ſecurius de ſepulchro accepi, quod ſepulchrum ab hoc ipſo verbo حفير dicitur.

lorum fugam, ita abreptorum ex medio felicitatis curſu, ut mori ſe et pœnas dare ſentiant, deſcribit Jobus, c. xxiv. 18—21.

> Celerrime vehitur aqua:
> Ager ejus in terra, maledictus eſt.
> Non vertit ſe in viam ad vineas;
> Ariditas et æſtus niveas illi furantur aquas.
> Peccavit inferis!

i. e. *celerrime cimba vehuntur Acherontia, ac tum demum portio eorum in terra feræ maledictioni ſubjecta eſt. Non vero in beatos hortos illis ingreſſus datur: non vertent ſe ad vineas, ſeu nobiliores*[e] *hortos. Ariditas et æſtus ſuffurantur illis aquas nivis frigidas,* (imaginem agnoſcas felicitatis æternæ, in qua deſcribenda Coranus obliviſci non ſolet rivorum hortos perfluentium) *inferis peccârunt, nec ſatis in hac vita ſuppliciorum ſuſtinere poſſunt, manibus etiam pœnas daturi. Uterus ejus obliviſcetur, nec filios pariendo memoriam ejus propagabit:* (nati ejus aut nulli erunt, aut improles morientur.) *conſueſcit ei vermis: per poſteros non commemorabitur, ſed frangetur, ut arbor, injuſtitia. Sterilis feminæ maritus eſt, et improlis: viduæque ejus nemo bene faciet.*

Ipſa inferorum flumina Hebræis non ignota fuiſſe, inque Pſalmo xviii. memorari ſub nomine *fluviorum Belial* crediderim. Belialem hic Satanam interpretari non licet, cujus in ditionem venturum ſe non ſperabat David, ſi vel in illo præſentiſſimo mortis periculo, quod v. 4, 5, 6. deſcribit, ſuccubuiſſet. Eſt potius בליעל a בלי *non*, et יעל (وعل) *altus fuit*, *minime*

[e] Vineæ a nobilitate Hebræis dicuntur.

altus, unde viri Belial ſunt viliſſimi genere aut animo homines: fluvii autem Belial, flumina inferorum. Placentne jam hæc poetica?

> Malis[f] inſaniens Deum invoco;
> Salvor ab hoſtibus.
> Virtutem excuſſerant[g] animo laquei mortis,
> Ad flumina inferorum cohorrui:
> Undæ[h] Tartareæ circumdederant me,
> Poſitæque ante me lethi tendiculæ.

His malis oppreſſus, Stygia jam natans cimba, Deum invocat. Audit: Venit, præſentiſſimus in tempeſtate, qualem ſupra n. 44. deſcripſimus, ingruit, tandemque, mirabile dictu, Tartareas etiam ad ſedes manum porrigens v. 17.

> recipit me
> Extrahit me ex aquis multis.

Quo fabulæ uſu, quis ex poetis Græcis aut Latinis pulchrius quid habet aut magnificentius?

[f] הולל proprie lunaticum dicunt Hebræi, ab هلال *luna*, hocque ab הלל lucere: deinde inſanum quemvis, maxime, quem mali magnitudo de ſtatu mentis et rationis dejecit. Job. xii. 17. Cohel. vii. 7.

[g] Confer اَق, cujus vis in puſillanimitate turpi et contemta eſt. Undique laqueis et tendiculis mortis, quas virtute et prudentia vitare non poſſe videbatur, cinctus, fatetur, magnitudinem animi labefactatam ſibi eſſe, ſeque ad adſpectum Stygii fluminis intremuiſſe.

[h] Ita eſt in loco parallelo, 2 Sam. xxii 5.

(48) Mea qualiſcunque ſententia quæ ſit, diſci ex paraphraſi poe- 119. n. 16.
tica hujus libri, vernaculo idiomate edita, adjectiſque notis, poterit.

(49) Locis citatis vis nulla probandi ineſt. De loco Salo- 121. n. 1.
monis ſententiam dixi in notis paraphraſi poeticæ ſubjectis. Pertinet ad navigationem et commercia. Pſ. civ. לחם non panis eſt, non triticum, ſed *cibus*.

(50) [In alieniſſima jam verſatur diſciplina noſter, periculoſa 123. 14.
philologis: nominibus pro auctoritatibus utens, quorum haberi ratio nulla poterat.

Primo enim ארז non eſſe videtur, quæ noſtro tempore cedrus Libani dicitur, formoſiſſima arbor, inque Libano ſparſim ac raro naſcens, ſed pinus, totum pæne Libanum conveſtiens. Tractavit id argumentum utriuſque philologiæ Orientalis, et botanices, antiſtes, Celſius, in Parte i. hierobotanici, inde a pagina 106. Opposuit ei admodum nuper *hiſtoriam cedrorum Libani* Christophorus Jacobus Trew, in qua et cedrum Libani curate deſcripſit, et expoſuit cur eam putet Hebraice ארז dici. Nobis vero certaminis arbitris (quamquam id nobis non ſumimus) vicerit Celſius. Vide Gottingiſche Gel. Anzeigen 1757. p. 1169. ſeqq.

תאשור buxum potius quam cedri ſpeciem exiſtimem, eodem doctore uſus, Celſio, l. ii. p. 153. ſeqq. Kimchii auctoritas in botanicis, quæ cum grammaticis, Judaicis maxime, nec novit nec curat, nulla eſt. Id tamen facile concedo, אשור Ezech. xxxi. 3. non Aſſyrium ſignificare, ſed aut arboris genus, aut pinuum proceritatem et pulchritudinem: quamquam nec Jeſ. i. 17. huc advocaverim. Sed hæc explicare meum jam non eſt. Neque animus eſt, ſemper emendare, ubi in Hebraicis vertendis lapſum noſtrum cenſeo, modo id decori poematum non officiat *.]

(51) Videtur mihi hic, ut ſæpe, poeſis cum oratorum facultate, 125. 13.
a qua multis modis diverſa eſt, neſcio quo fato, confundi. Rudimenta hic potius facundiæ popularis, priſcumque et horridum, ut ait Livius, dicendi morem, intelligere mihi videor: eodemque ſenſu mecum affectum iri credo, ſi qui Livii Lib. ii. c. 32. relegere non dedignentur. Nempe ex primis artibus eſſe ſolet, ipſo noſtro arbitro, poeſis, eademque diu ante Jothamum fuerat multo perfectior; at ſerius nata facultas oratoria in prima adhuc infantia

* *Quæ uncinis incluſa ſunt omittuntur in Edit. Gotting.* MDCCLXX.

erat, qua et pleraſque artes in Græcia vetuſtiores fuiſſe, Cicero monuit (in Bruto, c. 7.)

126. 21. (52) Quid? ſi ita:

> Tege id quod plantavit manus tua,
> Et filium, quem tibi confirmâſti.
> Igne comburitur, everritur &c.

Nempe facilior eſt conſtructio, ſi כנה verbum ſit imperativum, cum He paragogico, exponaturque ex كسي *texit*. Sic enim, pro כנן dicunt Arabes. Filius Dei forte rex eſt, ut Pſ. lxxxii. 6. lxxxix. 27, 28. *Regem firmare* quid ſit, melius intelligent lectores, quam, ſobolem. כסה, utcunque ſcribatur, كسح et كشح, Arabibus eſt, *everrere*, quo ſignificatu et Jeſ. v. 25. occurrit. Dicitur autem iiſdem Arabibus et ventus terram *everrere*, arenas attollens et ſubjecta illis nudans. Sententia ergo eſt, digne jam poeta dicta, vitem combuſtam eſſe, cineremque a rapidis ventis ſparſum.

126. 25. (53) i. e. *virum fœdere tibi junctum*. Jurabant Orientales per dextram. Sic Muhammedi Gabriel, Sur. xlviii. 10. *qui tibi jurant fidem, Deo jurant: manus Dei eſt ſupra manum ipſorum.* Hinc et Arabibus ימין eſt *jusjurandum*. Vide quoque *Hermanni van der Hardt* diſſ. de *Eliezero per carpum manus jurante*, qui hunc jurandi ritum Geneſ. xxiv. 2. ſeqq. vidit.

129. 9. (54) Mihi quidem totus ſuſpectus, atque ab aliis etiam ſolicitatus. Argumenti tamen, quod tractamus, copia non patitur, ut in iſtam diſputationem deſcendam.

130. 31. (55) Laudo auctorem, quod hoc pro acumine ſuo vidit, ac pro candore ſolito non diſſimulavit. Mihi vero perquam ſuſpecta ſunt, quæ ſoli omnino ſacro Hebræorum carmini propria dicuntur: quæ ut admittam, ſuaſque privas codici ſacro leges hermeneuticas condi patiar, ab hermeneuticis legibus reliquarum linguarum omnium abhorrentes, ſingulari et inſolita opus erit vi argumentorum; quam in ſtabiliendo duplici eorundem verborum ſenſu vix mediocrem adhiberi video, ſed pleraque conſuetudine interpretum, ſententiiſque tralatitiis niti.

131. 31. (56) Et hoc ſuſpicionis plenum.

132. 1. (57) Illæ metaphoræ et parabolæ, quarum leges eſſe fatebatur Lowthus, eidem debentur Spiritui cœleſti, quem non dedecet his pulchri legibus adſtringi.

(58) Alterutrum autem ubi contingit, quonam ſciri argu- 132. 14.
mento poteſt, alteram quoque ſententiam, quæ lumine majore pene obtegitur et exſtinguitur, a ſcriptore ſacro intendi? Si, quod omnino reor, clariſſima Meſſiæ imago in Pſalmo cx. proponitur, quid eſt, quod jubeat, eum quodammodo ad Davidem trahi, cui nec ſacerdotio fungi contigit, nec ſedere ad dextram Dei, id vero eſt in adyto, ad dextram arcæ fœderis, licuiſſet? Contra ſi in Pſalmo xviii. tam dominatur victoriarum Davidis deſcriptio, ut ægre interluceat alia ſententia: cur in illo Meſſias quæritur?

(59) Hoc ergo ſi ita eſt, ſi ob Pauli auctoritatem dubitari ne- 133. 18.
quit, quin de Chriſto, ejuſque reſurrectione et regno, Pſalmus agat: quid eſt, quod ſuadeat eum et de Davide accipere? Non nego, Davidis victorias, majore verbis audacia data, ejuſmodi carmine celebrari potuiſſe; aliorumque inſuper, de quibus nemo hic cogitare ſuſtinet, regum Hieroſolymitanorum: at meminerimus, orationem non ad eos omnes pertinere, de quibus ſimile quid dici poſſet, ſed ad illum unum, de quo agitur; qui ſi hic Chriſtus eſt, dimittamus Davidem.

(60) Amplificantis hoc eſt, non illuſtrantis. Caſtella cito 138. 26.
capi, ex mera narratione, ſine omni hac comparatione intelliges: at ineſt hyperbole quædam in comparatione, uſitata Hebræis, ſimiliſque illi, qua breviter et per metaphoram David hoſtes, deditionem facientes, *defluere ut marcida poma, vel folia* dixit Pſ. xviii. 46.

> Barbari autumnitate ſua decidunt,
> Et exeunt ex caſtellis ſuis.

Id vero eſt; victi ad me cives, expugnatorumque caſtellorum præſidia, certatim confluunt,

> Quot folia in ſilvis primæ ſub frigora brumæ
> Lapſa fluunt, queis jam vigor et ſua vita receſſit.

(61) Non parum decedit decori poetico, ſententia prophetæ 146. 8.
non recte intellecta. Nec enim de gratia, quam theologorum ſcholæ dicunt, tot poſt Auguſtinum controverſiis iriſque celebrata, nec de virtute evangelii ad emendandos hominum animos, ſed de verbi prophetici certo implemento loquitur. Conſuetum Hebræis, verbum Dei, propheticum maxime, imbri cœleſti comparare, Deuteron. xxxii. 2. Ezech. xxi. 2. Mich. ii. 6. Job.

xxix. 22, 23. Certum ergo et inevitabile oraculorum divinorum complementum defcripturi, fingunt, hoc imbre terram impraegnari ac fœcundari, ut res prædicta fuo tempore ex illa propullulet. Cecinerat Jefaias, ut toto illo longiore, inde a capite xl. vaticinio, ita hoc ipfo in capite, v. 3, 4, 5. æternum Dei cum Ifraelitis fœdus, impletam illis perpetuam ac ftabilem gratiam Davidi juratam, regem nempe æternum atque immortalem in ejus folio feffurum: hunc doctorem quoque et regem fore gentium barbararum, ignotafque gentes imperio fuo fubjecturum. Hæc fi cui nimia magnitudine incredibilia videantur, jubet eum cogitare, Dei confilia humanis immenfum altiora effe: plana illi, quæ nobis ardua. Addit, certum conftare oraculis divinis, quantumvis mirabilibus, implementum: nivi aut pluviæ fimile verbum Dei propheticum effe; quæ ut ad cœlum non redeat, nifi juffa fecerit, rigaverit, fœcundaverit, ac parere fecerit terram, cibumque efurientibus, ac novum femen agricolis largita fit: fic et verbum propheticum imperata, id eft, prædicta perfecturum. Ita intelligo comparationem, cum ob nexum præcedentium et fequentium, (v. 12, 13.) tum quod recepta ac tralatitia fententia ne veram quidem fundit fententiam. Affirmâritne enim theologus, aut qui omnino prædicationi evangelii interfuit, nunquam hanc cœleftem pluviam fine fructu defcendere? femper perficere, quæ volebat Deus? Dici id non poteft, nifi ab his, qui ftatuunt, nolle Deum quorundam hominum emendationem, neque eo fine illis dediffe evangelium ut meliores fiant, fed verbo fuo virtutem, illorum converfioni neceffariam, fubtraxiffe. Ita fæpe ignorantia imaginum poeticarum, ac nimium ftudium ea in facris literis inveniendi, de quibus frequentiffime in fcholis difputatur, hæreticos facit eos, qui hoc nomen maxime exhorrefcunt.

Simillimum noftro habemus aliud Jefaiæ carmen, fed brevius, metaphoram vel allegoriam potius habens, non comparationem, c. xlv. 8.

> Rumpimini cœli defuper,
> Nubila fluant veritate.
> Pandat fe terra, fœcundent eam victoriis,
> Veritafque cum illis propullulet.

In quorum verborum explicatione fi quis hæret, fciat צרק et Arabibus veritatem effe, et vero Jefaiæ frequentiffime, (c. xli. 26.

&c.) ישע autem, ישועה et תשועה pene propriam vim in victoriis habere. Confer 2 Reg. v. 1. 1 Sam. xiv. 45. Jeſ. xix. 20. Obad. 21. &c.

(62) Fallitur noſter, nec comparationis magnitudinem per- 150. n. 8.
ſpexit. יער nunquam area eſt, ne Michæ quidem, qui ſilveſcere potius montem templi videt: noſtro autem loco, illo indice parallelismo utriuſque membri, quem infra explicabit noſter, utque eximium interpretationis adjumentum laudabit, montes intelliguntur, ſilvis obſiti. Silvarum incendiis, ſed aut raris aut inauditis in Anglia, nihil terribilius, maxime vento incendia ſpargente. Lege Virgilium, Georg. ii. 305—311. Æneid. ii. 304, 305. Eſt ergo duplex comparatio, hæc illa major et auguſtior.

(63) Melius, *incubat*, ex Syriaſmo. Motitare, conjecturis in- 151. 8.
terpretum debetur.

(64) Etiam hoc conjecturale eſt, non philologicum. Ara- 152. 4.
bibus غلم eſt *furere, cum impetu ruere*, adhibeturque tanquam proprie de *furore Venereo*, unde et Hebræi forte puerum prima pubertate עלם, puellam עלמה dixerunt. Lucebit verſus Jobi, ſi veritas: *cum furens in illos nix fertur:* majus ei decus, ſi ad Ægyptiam alludatur imaginem, fluvium innatantem ac fœcundantem marito, terram uxori comparantem. Videatur Jablonſkii Pantheon, ubi de Oſiride et Iſide agit.

(65) Mallem: *alio tempore æſtuant, alio ſilent:* ex Arabico 152. 5.
زرب *æſtuare*, unde eſt زريبة, *Eurious*. Schultenſio adſtipulari non poſſum, contra eas leges, quas ipſe in linguæ Hebraicæ explicatione veriſſimas tulit, זרב conferenti cum ضرب (צרב) *percutere*. צמת etiam duce Arabiſmo expoſui *ſilere*, a qua ſignificatione et altera, exſcindendi, ſeu ad ſilentium mortis redigendi, orta eſt. Proprie accipi videtur Pſ. ci. 5. *delatores ſilere jubeo.*

(66) Adde omnino *fulminis fratrem*, gladium, Ezech. xxi. 20. 156. 8.
qui paucis antea verſibus, (v. 15.) *gladius* dicebatur *filii Dei, lignum omne ſpernens.* Sic noſter poeta:

> Ein neuer Prometheus beſtielt den Himmel wider,
> Zieht Blitz aus Stral und Staub, und ſchafft dem
> Donner Brüder.

(67) Melius, *tremuerunt*, quod et auribus poeticis ſonantius eſt. 157. 14.
Vide quæ ſcripſi in fine notæ 22.

(68) Niſi forte verti debet, *et ipſa* (mater Siſſeræ) *reſpondet illi*, 159. 20.

feminæ ſapienti, ſe ſolanti. Eſt nempe in verſu 30. elegans colloquii muliebris imitatio, matre Siſeræ amplius aliquid ſemper ſperante, quam virgines ejus promiſerant, earumque voces, tanquam nimis timidas, corrigente. Virgines interrogant: *nonne invenient —:* interpellat mater: *divident ſpolium?* quod plus moræ habet. Illæ: *puellam uterum geſtantem pro viro:* hæc: *immo binas puellas, gravidas:* illæ: *prædam verſicolorem Siſeræ:* hæc, *immo prædam verſicolorem acupictam, verſicolorem, utrimque acupictam, pro collo captorum equorum.*

161. 11. (69) Nempe et hoc proprium ac privum eſt poetis Hebræorum, ut medio carmini aliud intexant ſonantius jam et majus carmen, cui collata reliqua oratio pene proſa videtur: fingantque epinicium, aut epicedium, pro more gentis a poetis mulieribuſve canendum. Jeſ. xxvi. 1. ſeqq. xxvii. 2, 3. 4, 5. Jerem. ix. 16—20. Ezech. xxxii. 2. ſeqq. Cujus proſopopœiæ mira vis eſt, tum quia magis videmur nobis in rem præſentem venire, ipſiſque jam victoriis aut malis intereſſe, epinicia iſta aut epicedia audientes: tum quod admirabilius quid ac divinius perſentiſcimus, cum reliqui carminis ſenſu jam adfecti majus aliud auribus haurimus. Quo in genere pro more ſuo novus eſt, illiſque, quos imitatur, audacior Habbacucus, c. ii. 6. ſeqq. carmen ludicrum et acerbe lætum componens, quo Babyloni gentes, duram antea expertæ ſervitutem, inſultabunt. Dignum illud, quod hic legeretur: ſed ſervare ejus explicationem liceat collegio critico in Habbacucum, propediem edendo.

166. 25. (70) Quid מושל ſignificet, ſupra expoſui; neque hanc auctoris argumentationem mihi oppoſuerit, qui ſciat, vocabulorum uſum latius multo patere, quam etymon et proprietatem. Ita facile accidere potuit, ut omne poema, etiam in quo figurati nihil eſt, a figurata oratione diceretur, quia figuris maxime poemata diſtingui et ornari ſolent.

171. 17. (71) Nimis auget noſter emphaſes et audacias carminis, inſolentia putans, quæ nobis non ſolita ſunt. De temporum, quam dicunt, enallage, alius erit agendi locus ad ſequentem Prælectionem. Ellipſis pronominis אשר aſperi nihil habet: vix quidquam ea Arabibus frequentius, quibus mollities hæc exiſtimatur et elegantia orationis, neque Hebræis eſt inuſitata. Quod ſi linguas Orientales non ex Latina æſtimâſſet noſter, atque adeo ſi hæc Anglice reddidiſſet, aſperitatem poeticæ conſtructionis admiraturus non erat. Ipſis quippe Anglis ſolitum, pronomen relativum

(*which*) omittere. Brevitate tamen majorem fieri orationem facile largior.

(72) Egregie et veriſſime obſervatum. Jobi eſt tragica illa et 172. 16.
regia triſtitia, dicam, an deſperatio: Jeremiæ flebiles elegi, miſericordiam provocantes, nec lacrimis major luctus. Quod ut toto orationis colore facile agnoſcent poetico ſenſu non deſtituti; ita magis tamen lucet, et exotericis etiam explicari poteſt, ubi in eandem uterque imaginem incidit. Repetant, quæſo, lectores, iterumque deguſtent comparationem amicorum Jobi cum rivo perfido, cujus verſionem noſter pag. 151, 152. dedit: ejuſque hauſtu ac tanquam ſpiritu pleni, ad elegantes, lugubres, ſed exiles accedant Jeremiæ elegos, c. xv. 18.

Quare eſt dolor meus perpetuus,
Et vulnus meum intractabile,
Refugiens medelam!
Factus es mihi, ut fons deficiens,
Ut aquæ non fidæ!

Verſionem, in nonnullis novam, ne gratis ſumere videar, moneo, primo, אנש proprie mollitiem ſignificare, ex Arabico انث: mollia autem vulnera eſſe, adeo ægra ac dolorifica, ut manum medicam non admittant: deinde, non opus eſſe, ut אכזב injurie in Deum ac ruſtice, *mendacem* ſimpliciter vertamus, ſed fontis mendacis, ſeu æſtate deficientis, ſignificatum vocabulo commode tribui poſſe, noſtro loco aptiſſimum. Confer enim phraſin Jeſ. lviii. 11. Atque haud ſcio, an a fonte aut rivo, hibernis imbribus aucto, ſed per æſtatem deficiente, Ecdippæ urbi, אכזיב Hebraice, nomen ductum ſit, idemque illi acciderit, quod permultis urbibus, ut a ſitu, loci ingenio, rivo, fonte, monte, nomen ſortiantur.

(73) Potius, *per pronomen ſubintellectum*. היה non magis præſentis 182. 7.
temporis eſt, quam aliud ullum verbum, neque apud Orientales ſubintelligitur, quantumvis hoc tralatitium ſit pleriſque, ex Latina lingua Hebræam æſtimantibus. Contra pronomina perſonalia ſunt Orientalibus loco verbi ſubſtantivi omnis temporis, maxime præſentis: quod Arabice aut Syriace ſcienti ignotum eſſe non poteſt, quibus in linguis multo etiam eſt frequentius, quam in Hebraica.

(74) In his, quæ de temporum forma grammatica diſputat 182. 18.
noſter, nimis argutus ſit emphaſium captator: multo ſenſurus aliter, ſi de grammatica Hebraica non ex Latina, ſed ex Arabica,

judicâsset. Quod cum secus faciant plerique, atque ita fere agunt, ac si grammatica Latina ejusque leges, quibus a pueris imbuti sunt, universales omnium linguarum essent: in utramque partem peccatum est, aliis suam ubivis crepantibus temporum enallagen, in isto sono omnia jam inesse, eoque rationem rei contineri arbitrantibus: aliis nimis operose rationem expiscantibus futuri Hebraici pro præterito Latino, præteriti Hebraici pro futuro Latino positi. Quo in genere Lowtho multo etiam laboriosior est, qui anno 1748. *de analogia temporum Hebraicæ linguæ*, annoque 1751. *observationes philologicas in libros Mosis, quibus analogia temporum illustratur*, majore fortassis diligentia quam linguarum orientalium peritia scripsit, *Wilhelmus Koolhaas.*

Equidem si ad antiquissimæ linguæ usum redire placeat, haud scio an affirmare ausim, omni temporis indicio ac nota aliquando linguam Orientalem caruisse; quæque nunc præterita et futura dicuntur, duo fuisse aorista, ad personas numerosque indicandos inflexa. Ipse ille defectus præsentis temporis, nulla flexione verbi notati, meam suspicionem quodammodo confirmat: accedit origo et compositio præteriti Hebræorum, qua a præsente periphrastico non differt. Ut enim præsens periphrasticum ex participio et pronomine personali faciunt Hebræi, quæ duo in unam vocem Syris coalescunt (vide patris mei Syriasmum l. ii. c. i. §. 8. p. 37.) semel Hebræis, Ezech. viii. 16: ita et præteritum tempus Hebræorum ex primitiva verbi forma cum iisdem pronominibus personalibus colliquescente exstitit.

Sed quod majus est, futurum, quod dicitur, apud Arabes post particulas negativas omnis omnino temporis, ipsissimusque est aoristus Græcorum, pro earum diversitate ut præsens, præteritum, aut futurum interpretandum. Quod ut eorum in gratiam, qui inscitia linguæ Arabicæ laborem inutilem suscipiunt, in exemplo ponam Hebraicis literis scripto, (Arabica enim qui didicerunt, aut usu sciunt, aut tirones ex Erpenii grammatica p. 52.) לם אפעל est, *non feci*: מא אפעל *non facio*: לן אפעל *non faciam*: ליס אפעל utrumque, *non facio*, et, *non faciam*: cui simillimum est in ipsa Hebraica lingua, quod vulgo monent grammatici, futurum post טרם in præteritum transire. Omitto alia plura, ut futurum Arabum et præsens et futurum complecti, nisi præposita particula س vel سوف, ad veri futuri significationem restringatur: inservire autem formando præterito imperfecto, si

præmittatur, كان *fuit*, ita ut, *fuit interficiet*, fit, *interficiebat*: quem ad modum et Hebræos pro הוי יקטל, *accidit ut interficeret*, per crafin dixiffe opinor, וַיִּקְטֹל *interficiebat*.

Ut ergo aoriftum nemo Græcis negat, nec incredibile cuiquam videtur, una eos forma tempora omnia complecti potuiffe: ita et fuum patiamur habere Arabes Hebræofque aoriftum primum et fecundum, nec ad modum eos linguæ, et multo recentioris, et alieniffimæ, Latinæ, exigamus. Quod fi tractu temporis accidit, ut alterum aoriftum plerumque præterito, alterum futuro tempori deftinarent: meminerimus, et Græcos aorifto plerumque pro præterito uti, falva ipfi prima et latius patente fignificatione, nec miremur, Hebræis etiam liberum manfiffe, utroque tempore ἀορίστως uti. Quo in ufu ineft aliquis archaifmus, poetis, antiqua amantibus, gratior.

Ita non ægre carebimus nimis artificiofa temporum explicatione, ab ufu reliquarum Orientis linguarum abhorrente, cujus exempla nofter propofuit. Harum autem linguarum nifi peritus fis, neceffe eft, in emortua Hebraica, cujus vix umbra in paucis monumentis fupereft, femper te adhærere: atque aut crebras identidem anomalias fingere, aut perpetuas admirari emphafes, quæ nimis crebræ ac fpiffæ oneraturæ erant orationem, non ornaturæ. Nec tamen omnia damno, quæ fcripfit nofter, quod fequens obfervatio teftatum faciet. Hoc etiam fateor, poftquam hic aoriftus λόγος pro futuro cœpit effe, aliquos ufus ejus futuri apud Orientales invaluiffe, noftris incognitos. Sic futurum Hebræi ponunt de re quæ femper fit, aut quæ folet fieri debetve: Genef. xxxiv. 7. Arabum etiam illa conftructio nova nobis, grataque Lowtho effe poffit, quam in exemplo ponam ex fabula Locmanni quarta petito: *leo cui fol moleftus erat* دخل الي بعض المغاير يتظلل بها *ingreffus eft in foveam quandam umbram captabit in ea* (i. e. umbram capturus in ea) *cumque recubuiffet, ftellio* اتي اليه يمشي علي ظهره *venit ad illum, incedet in tergo ejus.* Verum in plurimis harum conftructionum nihil pendet ex propria aliqua vi futuri, fed omnia ab ellipfi particulæ أن, ut, Arabibus confueta: *ingreffus eft, ut umbram caparet*: —*venit, ut incederet* &c.

(75) His contradicere exiftimari nolim. Neque uno enallages 183. 2. nomine hæc tueri folent grammatici, fed præterita prophetica dicere. Poterant et, præfentia prophetica, quia præfentis tem-

poris, quo Hebræi carent, vicem præteritum præſtat. Utcunque autem vocare libuerit, hoc ſive præſens ſive præteritum propheticum, ne noſtræ quidem aures in vernaculo poemate, ſi quis tentet, refugerint. Nempe futuris poetæ intereſſe ſibi videntur, ita de illis dicentes, ac ſi oculis ea præſentia cernerent. Sic ille apud Britannos ſublimis, ſed atrox morum inſectator, (*Manners*, titulus carmini:)

> Wrapp'd into thoughts, lo, I Britannia ſee,
> Riſing ſuperiour o'er the ſubject ſea:
> And her gay pendants ſpread their ſilken wings,
> Big with the fate of empires and of kings, &c.

Sic Sibylla Virgilii, ſimile quid, ſed timidiuſcule, tentantis,

> in regna LAVINI
> Dardanidæ venient:

occupato nomine, ut monent interpretes, eademque:

> bella, horrida bella,
> Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cerno.

Lege et Æn. vi. 773—776. Inſuetum tamen ipſi, noſtriſque, nec ſine aliqua excuſatione audaciæ tentatum, quod Hebræis quotidianum: neque id mirum, cum prophetis abundârint Hebræi, nos illis careamus. Quamquam et ſatis audaces eſſe ſolent diviniores aliqui odarum de vitæ æternæ felicitate auctores, futurum ſeculum ut jam præſens, reſurrectionem mortuorum ut jam peractam canentes, quo fortius animos afficiant.

183. n. 12. (76) Lectu digna eſt, quæ anno 1737. Halæ prodiit, Patris mei *de paronomaſia ſacra* diſſertatio, multis et illuſtribus hujus figuræ exemplis cupidos ditatura. Diſſimulandum tamen haud eſt, ipſum hunc, quem laudat noſter, ornatum opus habere, ut noſtris auribus excuſetur, quibus puerilis videri poteſt. In his enim linguis, quas cum lacte materno hauſimus, exiguus ac pene nullus eſt honor paronomaſiæ, quam et in Latinis rhetores aliqui et grammatici damnârunt, juſto ſeveriores viſi Patri meo, in paragrapho ii. laudatæ diſſertationis. Argumentis quidem hæc lis eo deduci vix poteſt, ut liqueat: ſenſu potius et guſtu aliquo exploranda. Quem ſi talem ſequor, quali adficior, diſplicere mihi totum pene paronomaſiæ genus in ſublimiore oratione, maxime in carmine, fateor. Alius erit aliorum ſenſus, neque de guſtu diſputaverim: meum tamen exponam ac penitius, quantum fieri

poteſt, deſcribam, ut periti judicare poſſint, utrum ſit nimis faſtidioſus, an cum eo congruat, quo linguæ noſtræ non præceptores et grammatici, (horum enim in guſtu minor auctoritas) ſed auctores claſſici, poetæ diviniora ſpirantes, eorumque perpetua lectione formati, adficiuntur.

In quotidiano ergo et comto ſermone, maxime ſi jocus accedat liberalis, non adſpernari me ſentio paronomaſias, modo acuminis quid ſubſit, nec ſint nimis tritæ: ſi qui tamen crebrius illis utantur, ut ingenii inde laudem videantur ſperare, neſcio quo commoveor faſtidio ac ſatietate. Neque id committere ſolent, niſi aut elegantibus literis parum exculti, aut quibus ingenium deſuit, aut quibus vita ſcholaſtica, perpetuam inter optimorum auctorum lectionem, pulchritudinis tamen illum ſenſum hebetavit, ſemper judicantibus ſemper admirantibus pulchra, imitantibus, adfectantibus, raro guſtantibus. Experientia enim conſtat, nimia multos copia aut attentione tanquam occalleſcere, ſolamque artem retinere, amiſſo ſenſu. In epiſtolis familiaribus, in ſermone continuo, ſed in quo ornatus non ſpectatur, qualis eſt docentium, idem fere valet, quod de colloquiis quotidianis dixi.

Alia jam eſt orationum dignitas apud nos et ſeveritas, ſacrarum maxime; in quibus puerilis artis, aut plebeiæ facundiæ diſſonantia aures mihi perſtringi ſentio, paronomaſia immiſſa, niſi prorſus illa ſingularis ſit, videaturque inſcio oratori, certe pulchritudinem ejus nec intelligenti nec admiranti, excidiſſe. Video quidem inſignem ejus vim in lædendis aliis eſſe poſſe, ſi gravis orator, alias his luſibus uti non ſolitus, eorum, in quorum mores invehitur, nomen proprium paronomaſia notet, videaturque id non conſilio facere, ſed affectu. Conſilium enim ſi ſubeſſe animadvertatur, ut in celebrato illo, **doch beſſer iſts ich ſchweige,** aut ſi aliquoties id fecerit, plebeius mihi jam, aut nimis artifex, aut, quo invidioſius nihil, conviciator eſſe videtur. Et tamen hanc ipſam gravem paronomaſiam, nomen hoſtis vulnerantem, diuturnumque ei ac forte nunquam delebile dedecus aſpergentem, timeam potius ac reformidem, quam admirer. Cum enim in omni nomine facile ejuſmodi quid in promtu ſit, parum æquitatis habens, omnibuſque timenda dicacitas potius videtur, quam eloquentia: accedente miſeratione noſtræ ſortis, ſi quis ſimile quid in noſtro nomine tentare vellet, in invidiam vertitur. Quo in genere Romanos, apud quos major linguæ licentia, parcior quam apud nos manuum, non forte dedecuit, quod noſtrum oratorem,

ſacrum præſertim, minime deceret: certe, quas in Verrem habet Cicero paronomaſias, verrem in luto volutatum, et everriculum provinciæ, in comto oratore toleraturi non videmur. Quamquam illi ipſi Siculorum in Verrem paronomaſia, harum ſimillima, frigida potius quam ridicula viſa eſt: l. i. in C. Verr. c. 46. Librorum eadem, quæ orationum, ratio, de quibus ſpeciatim non dico.

Carminis contra ſublimitas haud ſcio an nunquam apud nos hunc ornatum admittat, plebeiis poetis relinquendum. Virgilii illud

Diſcolor unde auri per ramos aura refulſit,

quod ad paronomaſiam referunt, eſt fortaſſe rarior ac pene obſoleta, ſed propria vocis ſignificatio, cujus prima vis in aureo vel igneo colore fuiſſe videtur. Sit autem paronomaſia, probarique hoc nomine Latinis potuerit: Romana poeſi verecundior noſtra erit, ſimilemque luſum repudiabit. Ne dixerim quidem, ferrine poſſit, quod probabilis paronomaſiæ exemplum, de ſacrificante et ſacrificulo, in luco arenoſo, erica abundante, ad altare mactandis, menti inerrat tanquam ex ſomnio, a me fictum? an alienum?

und du, du ſchlachte beide.
Den Alten am Altar, den Heiden in der Heide.

Defendi ſi poteſt, a concitatiore affectu petenda defenſio erit, cui tale quid conceditur, aut a neceſſitate, quod vitari non potuiſſe videatur, ſitque felicis licentiæ poeticæ ſimilius, quam artis. Forte et hac cauſſa iniquiores ſumus paronomaſiis, quod omnes verſus extremis ſyllabis alii verſui conſonantes, ſuam jam habent legitimam paronomaſiam, pedum verſuumque juſtam menſuram definientem, in qua ob ſyllabarum ancipitium multitudinem laborari poſſet: unde mirum non eſt, alias nobis paronomaſias, ipſa copia, ſordere.

Sic ergo a pueritia, non a magiſtris, quorum minor in animi ſenſibus formandis vis eſt, ſed ab auctoribus claſſicis linguæ vernaculæ inſtituti et adſuefacti, frequentiores Hebraici carminis paronomaſias admirari non poſſumus: continuatam autem per aliquot verſus figuram, qualis in capite primo Michæ occurrit, ne in oratione quidem, ac vix in ſermone quotidiano et familiari, non ſtomachaturi videmur. Statim enim apparet, artis eſſe, non fortunæ illum ſyllabarum idem ſonantium concurſum, artis autem

nimis facilis, quam ut ab ejus oſtentatione laus peti debeat. In hoc enim uno loco xiii. paronomaſias invenio: ac forte plures noſcebantur vivente lingua, neque multis dum etymis lapſu temporum obliteratis. Quod ne verbis auxiſſe videar, enumerabo ſingulas, eaſque, quæ opus habebunt, breviter illuſtrabo. 1) v. 10. in גת alludit propheta ad תגידו, *indicate.* 2) in בית עפרה *domo pulveris* ad עפר התפלשי *humiliator in pulvere.* 3) in שפיר, ad duplicem, quæ tentari poſſet, nominis etymologiam: primo a שפר (سفر) *proficiſci:* deinde 4) *a pulchritudine:* unde habet: *tranſi habitatrix Saphiræ nuda et pudibunda.* 5) in צאנן ad יצא *egredi.* 6) in בית האצל ſive ad צל *umbram,* deinde hoſpitium, ſive ad אצל (اصل) *veſperi venire, divertere. Luctus,* inquit, *Betheſelæ negabit vobis manſionem.* 7) v. 12. in מרות ad ſignificationem appellativam *amarorum,* ſeu *malorum.* 8) in ירושלם ad ירד שער *deſcendit ad portam.* 9) v. 13. in לכיש ad ſignificationem verbi unde nomen ducitur, לכש (لكث) quod Arabibus eſt, *jumentum onerare.* 10) v. 14. in מורשת גת, ad ſignificationem appellativam, ex qua eſt, *torcular hereditarium:* cui opponitur, *omni in hanc urbem juri renuntiandum Iſraelitis fore.* 11) in אכזיב, ad nominis etymon, אכזב *mendax,* maxime, *fons mendax:* (vide notam 73) *Ædes,* inquit, *Ecdippæ fons mendax erunt regibus Judæ:* i. e. ædes Ecdippæ, quibus multum delectari ſolebant reges Judæ, ſuo in loco quærent, ſed non magis invenient, quam fontem æſtate exſiccatum. Elegans ſententia, et vivide imaginem deſideratæ funditusque deletæ urbis exprimens: cui comparare poſſis aliam imaginem, Pſ. xxxvii. 35, 36. Job. xx. 7, 8, 9. ſed quæ tot obruta paronomaſiis noſtris jam auribus minus placet. 12) v. 15. in מרשה *poſſeſſione* vel *occupatione,* cui urbi novum minatur יורש occupantem. 13) in עדלם ad עד *uſque ad, ad, juxta,* aliudque verbum, forte ظلم pro quo et dicitur دلم (דלם) *nigreſcere. Juxta Adullam occidet gloria Iſraelis:* vel etiam ad عدل *æquum, juſtum: ad æquitatem deprimetur gloria Iſraelis.*

Hæc quidem, quæ noſtris auribus diſplicent, non opus eſt ut a ſumma laudemus elegantia, noſtro nobis ſenſu refragante, guſtumque noſtrum parere cogamus legibus Orientalium: ad ſublimitatem autem orationis, a qua longiſſime abeſt mediocris et plebeius ornatus, referre nullo modo poſſumus. Neque vero vituperare, proque nævis Hebraici carminis habere debebimus. Quaſi vero

nihil humile et plebeium placere poſſit, omniſque atque unica laus in ſublimitate ſit!

Meminerimus ante omnia, varia gentium de pulchritudine judicia eſſe; de illa etiam, quæ oculis cernitur, vultus, corporiſque, quanto magis de hac, quæ ſolo animi ſenſu percipitur. Noſtrorum in mentem nobis veniat ὁμοιοτελεύτων, (rhythmos plerique improprie dicunt) quæ ipſa ex genere paronomaſiarum ſunt, licet a reliquis paronomaſiis omnibus, uſu, frequentia, vi, longe diverſiſſima. Hæc ergo in vernaculo carmine mihi certe, aliiſque pluribus, placent: diſplicent in Latinis, nec Leonino carmine quidquam levius aut puerilius illi crediderim videri potuiſſe Virgilio, qui ſemel atque iterum Leoninos, ſed in quorum conſonantia ſingulare acumen aut vis eſt, conſilio et arte compoſuiſſe videtur. Nempe in Latino carmine ὁμοιοτελεύτου utilitas nulla eſt, ſed ars modo; artificii autem nimia copia faſtidium creat: contra in Germanicis carminibus, et antiquitatis defenſionem habens, nec tam artem oſtentans quam verſibus dimetiendis inſerviens ultimarum ſyllabarum conſonantia, non repudiatur.

Cauſſam jam ſupra indicavi, cur toti reliquo paronomaſiarum generi paulo iniquiores, quam par eſt, aures noſtræ eſſe ſoleant. Neque id feci, Hebræos laudaturus, inque illorum partes iturus: ſed medium quodammodo inter utroſque, talemque me gerere, velim, qualis futurus eram, ſolam naturam ducem ſequens, neque ſive noſtris ſive illorum opinionibus imbutus. Ut ergo nos paulo ſeveriores, ita Hebræos, gravius etiam peccantes, nimis deditos minuto artificio, libere fatear. Boni tamen poetæ, et qui probari vellet, erat, ſuæ gentis conſuetudinem et ſenſum ſequi: quod et in corpore ornando facimus, cujus in cultu ſi ſolam naturam paucæ feminæ ſequi vellent, conſuetudinem ſuæ gentis contemnentes, diſplicituræ videntur. Conſuetudinis certe ea vis eſt, ut turpia etiam et ingrata adſpectu, gratiam aliquam habeant: placeantque quibuſdam gentibus, ut exemplo utar, mulieres florum figuris expreſſis manus vultumque variantes, flavedinem cuti inducentes, atque etiam faciem coloribus non humanis pingentes. Quanto ergo magis conſuetudo opinioque populi eo pertinebit, ut res non turpis, ſed minutulam artem habens, nimiuſque etiam ornatus, placeat et requiratur?

Fuit præterea aliquid in poeſi Hebræorum, quod majorem paronomaſiæ licentiam jure ſuo daret, quippe quam ſermo quotidianus minus, quam liber ſcriptus, aſpernatur. Atqui et inter mu-

lierum ſaltantium choros adolevit poeſis Orientalis: et carmina rarius ſcribebantur, recitabantur cantabanturque frequentius, memoriæ potius quam chartis commiſſa. De Arabum poeſi id notum Pocockii lectoribus.

Tandem et magna diverſitas eſt ſublimis carminis a mediocri: orationis, Romæ Atheniſque habitæ, et qua pagi incolas tenere ac movere animus eſt. Humiliora non dedecet paronomaſia: utilis, ubi cum plebe agimus, magis reconditam pulchritudinem non ſentiente. Hanc ſi obvio aliquo ornamenti genere oblectamus, utrumque aſſequimur, et ut excitata ex veterno attentius nos audiat, et ut audita, hoc tanquam aculeo infixa, animo diutius hæreant. Potuit ergo Michæ, oppidis Judææ futura canenti, licere, quod in Moſis carminibus, aut in Jeſaia, probaturi non fuiſſent auditores. Antequam de hoc argumento perorem, laudare lubet Erpenium, qui in præfatione duplici centuriæ proverbiorum Arabicorum præmiſſa, (Lugd. Batav. 1614.) monuit, plus Arabes Latinis delectari paronomaſia, nec Latinis auribus probari poſſe, quæ Arabicas arrectas teneat.

(77) Hos non omni parte defendo grammaticos. Docere de- 185. 24.
buiſſent, quod futurum tempus vocamus, vere aoriſtum eſſe, futuro proprie ſic dicto carere Hebræos.

(78) Hic quidem ſufficit, quod de aoriſto dixi. De Hebrææ 186. 13.
linguæ reliquiis judicari omnino non poteſt ſine perpetuo uſu reliquarum linguarum Orientalium.

(79) Certum quidem eſt, aliiſque jam obſervatum, id quod 188. 13.
fieri aut ſolet aut debet, Hebræos frequentius futuro tempore dicere. At denominatio עָתִיד huc non facit, in qua *paratum* idem eſt, quod *futurum*, tanquam diceres, quod ut fiat jam ante præparatum eſt. Etyma vocum grammaticis propriarum nimis conſectari non debemus, neque ex illis exſculpere, de quibus grammatici nunquam cogitârunt.

(80) Non hujus loci ſunt, quæ Jeſaias verſu 12 habet. Nec 194. 27.
enim potentiam Dei, creationemque rerum omnium deſcribit, ſed hanc promit ſententiam: non magis nos mortali ingenio conſilia Dei, quæque prædicturus jam ſit, aſſequi et inveſtigare poſſe, quam aquam omnem pugillis, cœlum palmo metiri &c.

(81) Cauſſa deinde etiam aliis verbis a noſtro indicata ſubeſt: 196. 13.
quod infinitum ſola mente, quæ tota tranquillitatis eſt, concipere, magiſque quid non ſit, intelligere, quam quantum ſit videre poſſumus: nec ſenſibus illud percipimus, quibus vivide affectis, admi-

ratio, quæ ipſa perturbationis eſt, exſiſtere ſolet. Quare hic vel potiſſimæ partes poetæ ſunt, qui infinita ita carmine conveſtit, aliiſque maximis, quæ in ſenſus incidunt, comparat, ut non placida mente, nil admirante nil ſtupente, eorum magnitudinem intelligamus, ſed tanquam oculis ſubjectam cernamus. Sic ſi noſter æternitatis præco ceciniſſet, *nullas quantumvis magni temporis rationes ad æternitatem eſſe*, aut, *non alias quam* 1. *ad* o. vera dixiſſet, ſed non admirabilia: nullam ſenſibus objeciſſet magnitudinem, ad quam ſtuperemus. At quo ſenſu afficimur, cum ille:

> Unendlichkeit! wer wiſſet dich?
> Bey dir ſind Welten Tag, und Menſchen Augenblicke.
> Vielleicht die tauſendſte der Sonnen walzt jezt ſich,
> Und tauſend bleiben noch zurucke: &c.

Succurrunt hæc ſcribenti ſimilia Moſis Davidiſque carmina, quæ paucis illuſtrare, eorumque pulchritudinem ac majeſtatem lectoribus ſpectandam præbere liceat. Sic ergo Moſes, Pſ. xc. 1—6.

> Domine, auxilium fuiſti nobis, per plures hominum ætates.
> Antequam montes naſcerentur,
> Partuque intremuiſſet tellus,
> Aque ſeculo in ſeculum, tu es, Deus!
> Redigis mortales in pulverem,
> Dicisque: redite, ſoboles Adami.
> Mille enim anni tibi videntur heſternus dies elapſus,
> Aut trihorium nocturnum.
> Congelare facis illos, ſomnus fiunt:
> Mane ſunt, ut gramen germinans,
> Ut mane florens et germinans,
> Quod veſperi uſſit ſol, et areſcit.

Nihil majorem ſtabilitatis et æternitatis ſpeciem oculis noſtris objicit, quam montium juga, illas habentium vetuſtatis notas, ut niſi hiſtoria ſacra vetaret, ultra ſex annorum millia eorum terræque ipſius natales quæri, quantumvis magnam illis antiquitatem facile conceſſuri videamur. At hos terra tamen recentiores eſſe, et aliquando ex ea prorupiſſe, innuit vates, utriſque autem multo antiquiorem Deum. In quo id etiam ſublime eſt, novoque mirabilium genere mentem perſtringit, quod in medio carmine aut veriſſimum, aut certe veriſſimillimum de origine montium φιλοσοφήματα admiſcet naturæ peritiſſimus poeta: quo ſublimi noſtri

temporis poetas ſæpe feliciter uti videmus. Cum enim ſuapte natura omnis terra plana futura fuiſſe videatur, ipſeque Moſes tradat, initio illam univerſam mari tectam æquabilem habuiſſe ſuperficiem, (Geneſ. i. 2.) ipſa nobis natura ſubindicat, quomodo ex hoc æquabili orbe tanti prodire ſupraque aquam emergere terrarum tractus, tanti denique ex his ipſis exſiſtere montes, montiumque juga potuerint. In terræ enim motibus nonnunquam accidit, ut igne ſubterraneo novæ inſulæ ex fundo maris prorumpant: eandemque originem altiſſimorum montium haud pauci produnt, (phyſicis non ignota loquor) dum adhuc ignivomi ſunt, aut majorum memoria fuerunt. Ipſi illi Peruviani, quibus altiores habere orbis terrarum nullos videtur, ignem vomunt aut vomuerunt. Veriſimile ergo videri poſſit, omnes non montes ſolum eodem modo aliquando exſtitiſſe, ſed et quidquid eſt terræ continentis inſularumque magno olim igne ſubterraneo motuque terræ tumeſcens ex incubante antiquitus Oceano erupiſſe: unde fit, ut in ſummis ubique terrarum montibus indicia adhuc inveniant phyſici, innatantis illis aliquando maris. Quæ quidem indicia non ad diluvium Noachicum referri poſſe, ita perfecit in commentariis Soc. Scient. Goettingenſis, T. iii. p. 285. ſeqq. celeberrimus Hollmannus, ut dubitari amplius nequeat: aliam licet ſuſpicatus cauſſam, qua factum ſit, ut jam ex mari emerſerint habitenturque, quæ olim Oceani fundus fuerunt. Hoc ergo φιλοσοφήμενον et carmini intexit, et magnifica metaphora ornat Moſes. Fingit terram ex partu tremuiſſe: magnoſque inter tremores et boatus ingentem filiorum et giganteam ſobolem, montes, enixam eſſe. Comparat deinde Dei longævitatem cum noſtræ vitæ brevitate. Mille illi noſtri anni, multas complexi ætates hominum, unicus dies ſunt, et vero tranſactus, quem multo nobis breviorem fingimus die inſtante: nec hoc ſufficit; trihorium nocturnum ſunt, cujus placido ſomno tranſmiſſi nullam omnino durationem intelligimus. Germanice diceres:

So wie die Stunde in der Nacht
Vom tiefſten ſanften Schlaf zum Augenblick gemacht,
So ſind dir, Ewger, tauſend Jahre.

In comparatione brevis noſtræ vitæ cum flore ante veſperam marcido, non poteſt non ſuccurrere illud vernaculi poetæ, multo quidem anguſtius et ſublimius (quis enim tam ſit iniquus, ut diſſi-

mulet, aliqua ex noſtris ſublimiora eſſe Hebraicis) ſed et multo audacius :

> Der Sterne ſtille Majeſtat,
> Die uns zum Ziel bebeſtigt ſteht,
> Eilt vor dir weg, wie Graſs an ſchwulen Sommertagen ;
> Wie Roſen, die am Mittag jung,
> Und welk ſind vor der Dammerung,
> Iſt gegen dich der Angelſtern und Wagen.

Quod vel ideo commemorandum comparandumque duxi, ut nimiæ audaciæ inſolentiæque crimen, Orientalibus poetis nullo habito diſcrimine objectum, quodammodo diluam. Timidiores nonnunquam illi, ubi nos audaciora miramur. Forte, ſi ſiderum interitus immortalitati Dei Moſes, aliuſve ex Hebræis, conferre voluiſſet, comparâſſet illa lumini candelabri ſacri, extincto, cum mane deficeret oleum :

> Nur durftger Lampen Schein, der an dem Abend jung,
> Verloſchet vor der Dammerung,
> Iſt deinem Heiligthum der Angelſtern und Wagen.

His quidem illa ob ipſam audaciam pulchriora et ſublimiora : verum hoc ſi concedimus, deſinamus iſtas perpetuas voces, de alio prorſus ingenio Orientalium, ignorantiæ indices, mittere.

Alterum carmen aut ignoti auctoris aut Davidis eſt, Pſ. cii. 26—28. Æternitatem Dei non noſtra vitæ brevitate, non montium ſeculis metitur, ſed multo jam verius digniuſque, duratione cœli, quod æternum et immutabile videri etiam philoſopho poſſit, per multas montium ætates idem et immutabile. Hoc tamen ipſum ſanctum et æternum templum vetuſtate labi intelligit, Deo ſemper eodem. Cœlo ergo conveſtiri Deum fingit, nec magis illi inſolitum, pro cœlo ſua jam vetuſtate laborante multoties aliud creare novum, quam regi, veſtem mutare :

> Olim terram fundâſti,
> Opus manuum tuarum cœli ſunt.
> Illi interibunt, tu ſupereris :
> Illi ut veſtes deterentur,
> Ut amiculum mutabis eos et exuentur,
> Tu autem idem : nec anni tui finientur.

Conferamus his vernaculi poetæ illa :

Wie eine Uhr, beseelt durch ein Gewicht,
Eilt eine Sonn' aus Gottes Kraft bewegt.
Ihr Trieb laufft ab, und eine andre schlagt,
Du aber bleibst, und zahlst sie nicht.

Epimetri loco indicare liceat singularem linguæ Hebraicæ in numeris maximis, una voce exprimendis felicitatem. Nostris poetis vix licet ultra centurias aut millia progredi: partim quod majores numeri, ex pluribus vocibus componendi, phantasiam non afficiunt, partim, quod nimiam habere ista curata numeratio diligentiam videtur, fide historici digniorem, quam furore poetico: denique quod ipsa syllabarum multitudine numeri nostri compositi aut offendunt audientes, aut metro inepti sunt. Hebræorum contra poetis majores numeros rotundos vulgaris etiam linguæ usus concessit, ut רבבה, 10,000, אלפי שנאן, *millia duplicationis*, i. e. 1,000,000, et רבותים *myriades duplicatas*, seu 100,000,000. Quorum numerorum majorum in sublimitate carminis usum disce ex Ps. lxviii. 18. qui locus neque Germanica lingua neque Latina poetice exprimi potest.

(82) Obstat Lowthi explicationi, facitque pro vocalibus He- 197. n. 14.
braicis; quod indecens est, hominem implumem dicere; *si alas* MEAS *attollerem*. Aliud est: si alas, quales sunt Auroræ, attollerem. Sententiam, quam locus ex punctis Masorethicis intellectus fundit, exposui supra in epimetro Prælectionis IX. pag. 73.

PRÆFATIO

TOMO SECUNDO PRÆLECTIONUM PRÆMISSA.

LECTURIS

S. D.

E D I T O R.

PRIMO veſtra mihi, lectores, venia exoranda, quod ſerius quam expectabatur prodit tomus II. Prælectionum Lowthi. Intercesserunt non tam, quas me accuſaturum fortaſſe ſuſpicamini, turbæ bellicæ, quam laborum aliorum varietas.

Deinde et error indicandus, quem in præfatione tomi ſuperioris commiſi. Narrabatur mihi, Lowthum fato functum eſſe: idque in præfatione poſui, Vobis ſine dubio moleſtum, qui plura a tali viro ſcripta edi cuperetis. Jam vero lætus comperi, vivere adhuc virum de poeſi Hebraica mirifice meritum; ut jam hos inter lectores, quos hic alloquor, fore videatur. Liceat ergo Te nominatim compellare et adfari, inſignem lectorem, Lowthe, dumque Tua Tibi noſtris typis deſcripta reddo, gratias Tibi et meo et multorum meorum civium nomine agere, quod tanto in-

genio, acumine, induſtria, argumentum Te digniſſimum tractâſti, quod, qui ante Te ſuſceperunt, Tibi comparati, ne attigiſſe quidem videntur. Mea quæ adjeci æqui bonique conſule quæſo, in quibus, cum Te mortuis adnumerarem, habes quodammodo poſteritatis de Te judicium, nihil amicitiæ, nihil adfectibus dantis, nunquam illis adulantis, ad quorum aures adulatorum voces pertinere nequeunt. Dum vivimus, ſuſpectos habemus, qui noſtra laudant: ego, ſi tua magni facio, et mortuum Te putans, et ſæpe a Te diſſentiens, ſuſpectus Tibi nunquam videri potero. In ſententiarum quidem diverſitate molliore uſurus eram verborum lenocinio, ſi ipſum Te hæc mea lecturum ſciviſſem, non abruptiore ea brevitate, qua cum mortuis diſputare ſolemus. Quod ut benevole excuſes valde peto, nullius certe vocis mihi conſcius, quæ Tibi moleſta eſſe debeat, aut ab humanitate, quam mortuis debemus, nobiſque ab aliis poſt mortem expetimus, ſit aliena. Tu vero jam vivus, ac diu nobis ſervandus, in his meis et lectoris perſonam ſuſcipe et judicis, certus, nullius mihi lectoris ſententiam tanti fore ac Tuam. Nec illi id ægre ferent: quis enim in diſputatione de poeſi Hebraica Lowtho ſe comparet?

Indicem non mihi debetis, ſed Aug. Ludov. Schlözero, eximii ingenii et eruditionis viro, quem hac occaſione, ſuis jam ſcriptis ſatis notum, publice laudarem, eruditiſque omnibus impenſe commendarem, ſi mea illum commendatione aut egere aut juvari poſſe exiſtimarem.

Iidem, qui hunc librum ſuis ſumtibus Goettingæ

publicârunt bibliopolæ, idem facient in Celſii hierobotanico, meis qualibuſcunque aucto annotationibus, ac forte, ſi velint lectores, imaginibus illuſtrato plantarum rariorum. Pars prima ejus libri prodibit, niſi quod inciderit impedimentum, circa exitum anni ſequentis.

Dabam Goettingæ
d. VIII. Junii MDCCLXI.

(83) Non fatis exploratum eft, נבא hoc loco proprie de adflatu 226. 7.
divino veri nominis accipi: vix enim verifimile, plures eodem
tempore prophetas eandem perfenfiffe divinam vim, quæ eadem
univerfis verba fuggereret. Quid? fi hic vaticinari fimpliciter
fit, *modulari carmen*, ut Græcis Latinifque, recte obfervante noftro,
omnes poetæ vates dicuntur. Nempe quia ferventioris animi
impetu abripiuntur ac feruntur poetæ et mufici, ipfi ab alia ma-
jore vi agi videntur: unde hæc locutionis audacia, quæ eos vati-
cinari, quæ prophetas effe dicit. Res ipfa, quam tractat nofter,
falva eft, fed uno alterove argumento fortaffe melius carebit.

(84) משא, quod ex etymo eft, *eloquium*, *oraculum*, λόγιον, non 226. 26.
magis ad vaticinia de rebus futuris, quam ad omnia Dei eloquia
pertinet, illa etiam quæ falutarem doctrinam morumque præcepta
pandunt. Non ergo video, quæ vis infit argumento huic aucto-
ris: quidquid enim Lemuel jubente et impellente Deo fcribebat,
משא erat, fi vel carmine non conceptum fuiffet. Derivo autem
nomen a נשא, *tulit, protulit, elocutus eft*: non, ut faciunt aliqui
ex veteribus, a נשא *accepit*. Poffet, fateor, oraculum divinum
recte ab accipiendo dici, ut fit λῆμμα, (ita LXX. vertere folent)
accepta a Deo fententia: verum obftat huic derivationi locus
2 Reg. ix. 25. PROFERET (non, accipiet) *Jehova contra eum elo-
quium hoc*. Sed hæc obiter: funt fane minuta, ac pœnitet pene
fcriptionis.

(85) Nemini hoc mirum videbitur, recordato, pleraque etiam 228. 15.
apud Græcos oracula metro adftricta fuiffe: unde in Phœbum,
malorum verfuum plerumque auctorem, jocus non inficetus. De
Jefaia, non oratore, fed poeta, in præfatione dixi fententiam pag.
15. 16.

EPIMETRON

DE USU HUJUS PARALLELISMI HERMENEUTICO.

EGREGIÈ vero monitum ab auctore: tota enim Prælectio poesin non magis spectat, quam hermeneuticam, quæ quam prodeat misera et vitiosa sine poematis Hebraici scientia ac gustu procusa, hoc maxime exemplo disci potest. Genus est interpretum, sejunctam ab omni humana lingua divinam existimans, quod in ejusmodi repetitionibus membrorumque parallelismis fastidiosam statuit legem: cuivis membro suam esse peculiarem sententiam, verbaque ejus ita accipienda, ut aliquid dicant superiori membro indictum, nec enim decere Spiritus Sancti sapientiam ac parsimoniam, dicere, quod dixerit; omnem ex divino libro tautologiam eliminandam. Huic suæ legi servientes usui Hebraici poematis maxime repugnant: ubi enim duo membra verbis sententiisque parallela sunt, data opera verbum aliquod membri unius ea significatione accipiunt, quæ sit a significatione ejus verbi diversa, quod in altero hemistichio locum ejus occupat. In quo si crepare illud Judaicum possint, *uqu esse literam legis*, ex

qua non montes pendeant, tum demum valde ſibi et docti et divini videntur interpretes. Hi jam quantum a vero aberrent, non opus dictu eſſe exiſtimo, cum ex Lowthiana Prælectione ſua ſponte intelligatur.

Mihi quidem in explicandis divinis oraculis hic membrorum parallelifmus, de quo etiam ante lectum Lowthum frequenter diſputare conſueveram, multum utilitatis præſtitit: cujus, ſi licet, exempla, pauca ex innumeris, proponam.

Pſ. xxii. 31. Illa

יבאו ויגידו צדקתו
לעם נולד כי עשה

reddere ſolent:

Venient et indicabunt juſtitiam ejus populo naſcituro,
Quia fecit.

Manifeſtum, omnem ita perire concinnitatem ac conſonantiam membrorum, ſeu, ut Azariæ verbis utar, *metrum rerum*, quod forte non male disjecti membra poetæ dixeris: Hebraicæ certe aures lecto reliquo Pſalmo hanc ægre admittent interpretationem nimis proſam, atque etiam ab accentuum auctore non injuſte damnatam. Ego quidem et membra aliter incidam, et, cum videam, pro צדקתו *juſtitia ejus?* an *veritate?* deinde reponi, *quod fecerit*, vertere malim, *veritatem ejus*, quo ſenſu apud Arabes et in Jeſaia frequentiſſimum verbum צדק. Verterim ergo:

Venient et profitebuntur veritatem ejus;
Populo naſcituro, quod fecerit.

i. e. profitebuntur populo nafcituro, quod perfecerit promiffa fua, hæcque de me illuftria vaticinia impleverit.

Pf. xxv. 13. habes:

נפשו בטוב תלין
וזרעו יירש ארץ

Anima ejus in bono pernoctabit,
Et femen ejus hereditabit terram.

Quid fit, *in bono pernoctare*, incertum et fluctuans neglecto parallelifmo poetico. Poffit enim effe, five, *fecure dormire ab omni periculo tutum*, five, *pericula, quæ tanquam noctis et tenebrarum funt, feliciter fuperare*, five, *diuturna frui felicitate, ac tanquam domi effe in profperis*, five denique, *mortis etiam tempore, et in fepulchro felicem effe*[b]. Hanc poftremam interpretationem, theologis non ingratam futuram, reliquis præfero folo parallelifmo hemiftichiorum ductus, quia id quod de femine terram hereditaturo fequitur, fine dubio ad beneficia pertinet, quibus Deus pios poft mortem afficit, eadem, qua patres foverat, fobolem complectens, indulgentia. Hæc autem beneficia, prodentia mortalibus, qualis Dei in perfunctos mortali ftatione affectus fit, fpemque facientia, vivere

[b] Simillimæ phrafes Pfalmi xlix. in quo *pernoctatio* eft mortis tempus, *mane*, refurrectionis. Lege quæfo verfum 13 et 15. memor, de inevitabili moriendi neceffitate, ac de fepulchro canere poetam:

Homo in opulentia non pernoctat,
Similis eft brutis, quæ excinduntur.—
Ut oves fepulchro adponuntur,
Mors paftor eorum:
Mane domini ipforum erunt jufti.

adhuc et voluptatis ſenſu æterno affici, quibus Deus tam eſt propitius, ut et poſteris ob patres faveat, ſæpe conjungi cum futuræ vitæ felicitate video [c].

Illuſtrius addo exemplum ex loco male intellecto, Pſ. cxxxix. 20.

אשר ימרוך למזמה
נשאו לשוא עריך

Multæ ſunt interpretandi rationes, quibus plerumque obſtat cum ille ipſe, de quo Lowthus egit, paralleliſmus membrorum, tum quod alterutrum hemiſtichiorum de hoſtibus Dei loquitur, non tam omniſcientiæ quam omnipotentiæ ejus metu perſtringendis, tum quod anomalia grammatica et inſolentia conſtructionis non vacant. Teneamus autem, נשא לשוא, *protulit ad mendacium* ſc. confirmandum, alibi eſſe, *pejeravit* [d], atque ab hoc verbo pendere ſolere nomen in caſu quarto ejus rei poſitum, per quam pejeratur. Ita ſenſus erit hemiſtichii poſterioris, *qui nominant urbes tuas ad mendacium*, i. e. qui pejerant per urbes tuas, Sichemum, Bethelam, Siluntem, Hieroſolymam, alias, per quas juratum a Judæis eſſe, vel ex Evangeliis notum [e]. Hoc ergo hemiſtichio explicato ipſe paralleliſmus tenebras diſpellet ſuperiori offuſas: jam enim quid erit, dicere, ſeu nominare Deum ad fraudem, niſi, per Deum pejerare? Aptiſſimæ argumento totius carminis, omniſcientiam Dei canentis, diræ:

[c] Vide *argumenta immortalitatis animorum ex Moſe collecta*, §. 10—12. pag. 98. ſeqq. *ſyntagmatis commentationum minorum*. Adde Job. xi. 17.

[d] Exod. xx. 7.

[e] Matt. v. 35.

Utinam punias[f] injuſtos[g], Deus,
Nec ſanguinolentos porro videam!
Qui te nominant ad fraudem,
Et pejerant per urbes tuas!
Hoſteſne tuos non odiſſem?
Exoſoſque tibi non faſtidirem?
Cupido[h] illos odio odi,
Pro hoſtibus reputantur mihi.

Quantum enim, non ſcelus, ſed monſtrum videri oportuit poetæ, omniſcii Dei cogitatione pleno, veſana eorum audacia, qui hunc Deum, præſentiſſimum omnium quæ facimus, loquimur, cogitamus, teſtem, mendacii teſtem citare, ejuſque omnes pœnas ſuo capiti, ſi ſcientes fallant, perjuro ore imprecari ſuſtinent? Aut quod ſcelus dignius, cui vel mitis ac manſueta pietas omnia imprecetur ſupplicia, quam eorum, qui ipſi præſente et audiente Deo, nec juſto futuro niſi pœnas exigat, pactorumque arbitro, abominandas quaſvis diras capiti ſuo ſanciunt?

Pſ. cxlvii. 9.

נותן לבהמה לחמה
לבני עורב אשר יקראו

[f] *Occidère* magis Latine verti *punire*. Mortem pro omnibus ſuppliciis pœniſque ponere, Hebræis conſuetum.

[g] רשע non eſſe impium, ſed injuſtum, ſenſu forenſi, alia occaſione oſtendere in animo habeo, ad Habac. i. 13. Non autem omnes hic injuſti ſanguinique inſidiantes intelliguntur, ſed ii, qui perjurio viam ſibi muniunt, ad ſcelera judicio probanda, quales ſequens verſus deſcribit.

[h] תכלית *cupidinem* verto, ab illo uſu verbi כלה, quo renes et oculi conſumi cupidine et expectatione dicuntur. Cupido odii eſt, cum vindictam impatienter expetimus.

non ſane ineleganter verti ſolet:

Dat brutis cibum,
Pullis corvi clamoſis.

Vereor tamen, ut ſatis ad indolem Hebraici poematis, quod exigit:

Dat brutis cibum,
Pullis corvi id quod clamant.

i. e. cibum quem perpetuo clamore a Deo petere videntur.

Quinam Jeſ. xxvi. 14. ſint רפאים in verbis,

מתים בל יחיו
רפאים בל יקמו

medici, an *gigantes*, an populus aliquis, dubitabis, donec attendens ad mortuos ſuperioris membri, exclamatorie vertas:

Mortui! (*ſc. ſunt hoſtes*) non reviviſcent!
Inferi! Non reſurgent.

Eidem prophetæ quid שחרה cap. xlvii. 11. ſignificet, dubium manet, non conſulto parallelismo poetico. Verti enim poſſit: *malum cujus crepuſculum non noris*, a שַׁחַר, quod non tam Auroram, quam crepuſculum, veſpertinum etiam, ſignificare, alibi monui[i]. Ita malum ipſum nocti comparabitur, ini-

[i] Vide *hiſtoriam vitri apud Hebræos* a me conſcriptam, §. 2. maxime adjectam notam undecimam. Extat illa in tomo iv. commentariorum Societatis ſcientiarum Goettingenſis. Quæ ibi ſcripſi confirmantur etiam ex Arabiſmo, cui سحر eſt *antelucanum tempus*, indeque استحر *ſummo diluculo gallus cecinit*, cibus denique, qui a jejunantibus ſumitur, *antequam filum album a nigro diſcernere queant*, سحور. Sic et Lucifer, qui jam ante ortum Auroræ ſtatione exit, בן שחר, *filius crepuſculi* dicitur Jeſaiæ, c. xiv. 12.

tium ejus crepuſculo. Eſſe etiam queat, *ſatis cito et in primis initiis malo occurrere, illudque precibus et ſacrificiis impetrabilibus expiare et deprecari*, a verbo שַׁחֵר. Has inter explicationes, utramque elegantem, difficilis optio. At nemo, credo, hærebit, auribus rem judicans parallelifmo Hebræorum poetico adſuetus, legenſque una ſerie:

ובא עליך רעה
לא תדעי שַׁחֲרָהּ [k]
ותפל עליך הוה
לא תוכלי כפרה

Verte:

Et veniet ſuper te malum,
Quod neſcias tempeſtiva deprecari prece:
Et cadent ſuper te ruinæ,
Quas nequeas expiare.

Qui ſint Jeſ. xlix 6. נצורי ישראל, ita obſcurum interpretibus, ut inde a *ſervatis* Iſraelitis uſque ad *vaſtandos* incertis conjecturis late errent. Et tamen poterat res minus dubia eſſe, ſi auribus, quales poeſis Hebraica fingit, hæc recitares:

נקל מהיותך לי לעבד
להקים את שבטי יעקב
ונצורי ישראל להשיב

Vilius eſt tuo miniſterio,

[k] Ita in codicibus manuſcriptis puncta ſcribi, teſtantur biblia Halenſia. Si שחרר eſt a verbo שׁחר pro שַׁחֵר, non poteſt ſub ח Schva ſimplex poni, quia mobile eſt; Schva enim mobile ſub gutturalibus nunquam non compoſitum.

Erigere STEMMATA Jacobi
Et . . . . Iſraelis reſtituere.

Suſpicio certe oritura non levis, נצירי non perdendos, non ſervandos, ſed ſtemmata aut ſimile quid ſignificare: quæ uſu et derivatione nominis confirmata non jam ſuſpicio mihi eſt, ſed certior et exploratior ſententia. Arabibus enim نضر eſt *virere*, unde Jeſaias c. xi. 1. ſurculum נֵצֶר dixit; ἄνθος LXX. verterunt. Ut igitur ducta ab arbore ſimilitudine tribus Iſraelitarum dici conſueverant שבטים, ſtemmata ſeu rami: ita et inſolentiore paulo vocabulo נצורים *rami* vocari potuerunt. Hi reſtituuntur, cum exciſi antea iterum inſeruntur. Lege Rom. xi. 23, 24.

Ejuſdem capitis verſus 16 quas offundit tenebras interpretibus, non aſceticis quidem pia contentis ſententia ac theologice vera, ſed eruditis, quærentibus unde petita imago ſit, illa legentibus:

הן על כפים חקותיך
חומותיך נגדי תמיד

Ecce manibus inſculpſi te,
Muri tui coram me ſunt jugiter.

Nomen enim urbis, cujus muros perpetuo proſpectat, quis inſculpat manui? Atqui idem dicit utrumque hemiſtichium. Solent Orientales ſacrarum urbium non nomina ſed ipſas mœnium turriumque imagines manibus inurere, utque perpetua iſta imago ſit Hennæ ſeu cypri colore perficere, quo fortius earum memoriam recolant. Idem ergo et hic feciſſe Deus fingitur, imaginemque ſacræ civitatis inuſſiſſe manibus, in quibus illam ſemper ante oculos habeat.

Hæc quo fine diſputem, quæritis, lectores? Nempe

ut ſeverioris ingenii interpretibus, et ab humanitate literarum remotis, appareat, quid utilitatis ex Lowthi Prælectionibus de poeſi ſacra percipere poſſit illa ipſa, quam ſolam amant, theologia. Egeram jam hac de re in præfatione Tomi prioris pag. 11, 12, 13. uno tamen in exemplo rem ponendam cenſui, Telleriano etiam ſcripto[1] admonitus. Narrat ille, audiviſſe ſe commentantes theologos metaphyſicos, ex illo horrido genere, quod

Totos dat tetricæ dies Sophiæ,

reliquarum diſciplinarum incurium: valde hos miratos, cur de poeſi ſacra ſcriptitârit Lowthus? ſe eum nunquam lectûros, nec enim poemata Hebraica ſuſuros! Credo equidem: ſed, ut recte Tellerus monebat, ignorabant, ſine Hebraici poematis cognitione nec recte illud explicari poſſe, omnemque noſtram laborare hermeneuticam, poeſi Hebraica non penitius perſpecta.

[1] Wilh. Abr. Tellers Beurtheilung des erſten Theils der Cramerischen Uebersezung der Pſalmen, pag. 85.

---

(86) Accedebat linguæ Hebraicæ ætas deterior, cui in exsilio Babylonis omne pene decus poeticum decessit. Nec mirum, in tantis populi malis animos et otium defuisse Musis: et quæ lingua tota pene plebis pauperculæ facta est, in ea difficile, divinius quid ac sublimius eloqui, poetasque exsistere illo nomine dignos. Comparet, cui lubet, quæ ante et post illum exsilium Hebraice scripta supersunt; nec minorem inveniet labem ac ruinam, quam in lingua Latina. Quapropter et mihi veri dissimillimum, grande ac poeticum spirantes Psalmos post reditum ex Babylone scriptos fuisse, si forte unicum exceperis, cumque longe elegantissimum cxxxvii. Ezræ certe, cujus Hebraismo nihil est humilius et ingratius, Psalmos nobilissimos tribuere, peccato vicinum est Harduini, odas Horatianas infimæ linguæ Latinæ ætati tribuenti. Ac de ipso Ps. cxxxvii. dubito, quem malim Jeremiæ aut coævi alicujus esse, quam reducis ex Babylone. Eundem, qui in threnis deflevit mala populi, et hic mihi lamentantem audire videor. 262. 20.

(87) Chaos Mosaicum equidem ignoro. Græci Latinique poetæ Chaos habent, in quo omnia confusa, nulla terra, aqua, ignis, sed unus totius naturæ vultus: qua eorum disciplina a pueris imbuti in Mose etiam videre nos credimus, quæ ille, naturæ peritior, ne unica quidem voce commemoravit, statim in primo narrationis exordio cœlum habens a terra diversum, et aquam toti terrarum orbi innatantem, ut hic infiniti æquoris speciem retulerit. *In initio*, inquit, *creavit Deus cœlum et terram* (non chaos aliquod, nisi Mosen ex Ovidio interpretandum censeas.) *Terra autem* (sua jam et a cœlo distincta, cujus historiam curatius exponit divinus auctor) *vacua erat et inanis, tectumque caligine mare.* Est quippe תהום mare, Deut. viii. 7. unde et Arabum geographis maritimæ regiones frequentissime تَهَايِم dicuntur: utrumque ab هام *fluctuavit*. Vide notas meas 35, 43. et 81. Nullus adhucdum, fateor, sol, luna nulla, nulla sidera lucebant; nec vero, quod non essent, sed quod sol et sidera nondum exarsissent, quarto demum die ignem conceptura. 267. 1.

Gravissimam tempestatem describi existimârunt alii, conglomeratis ita nubibus, ut cœlum voluminis instar convolvi videatur.

Hactenus illi bene: sed non satis explicant alteram ruentium siderum imaginem.

Malim ergo cum tempestate terræ motum conjungere, cui et alias figuras poetarum Hebræorum deberi docui in nota 22. pag. 49, 50. Hic ubi accidit, nobis instabili in solo fluctuantibus agitari ea videntur, quæ stant firma et inconcussa, cœlum, sol, sidera: quod phænomenon in majus augens poeta, primo vereri, ne illa ruant quæ moventur, deinde et decidentia videre, ac late totius naturæ, terræ, cœli, solis, siderum, ruinam stragemque attonitus contemplari. Propria hæc forte poesi Orientali fictionis audacia; certe non memini, simile quid in nostris me legere. Quod si teneamus, facile etiam expediemus simillimam Christi orationem, Matth. xxiv. 29. nec opus habebimus, proprie accipere, quæ proprie evenire per rerum naturam corporumque istorum magnitudinem nequeunt, vaticiniumve de solis agens Hierosolymis ad ultimos terræ cœlique labores, vel maxime invito Christo, transferre.

268. 3. (88) Vereor ut hæc recte aut intellexerit auctor, aut intelligam: *tabescere* certe de sideribus dictum displicet. Est quidem مقّ *findere*, atque inde מקק *fissi vulneris tabes*, sed ea vix huic loco apta. Viderint alii, quomodo Jesaiæ consulant, lucemque et pulchritudinem ejus poemati reddant: mihi enim, receptam versionem non probanti, difficile est adferre meliorem. Promam tamen conjecturam.

In sequentibus stellas ruentes comparat vates fructibus arborum sua decidentibus autumnitate, maxime ubi ventus incubuit, quod ita placuit auctori apocalypsis, ut imitaretur cap vi. 13. Quid si hic cum fissa palmarum spatha composuerit? Conjecturæ occasionem Arabia dedit, cui مقّ est, *findere spatham palmæ*. Est autem hæc spatha duplex, mascula et feminea, utraque Februario et Martio mensibus rumpitur, feminea prius, paulo serius mascula, hæc semen ejaculatura, vento aut manibus hominum ad spatham femineam deferendum, unde femina sensim turget, dactylosque creat ipsa tandem maturitate defluxuros. Vide, si placet, Kæmpferi amœnitates exoticas, Fasc. iv. relat. 1. Gentis ergo palmis adsuetæ vates cœli siderumque ruinam comparare poterat, sive fissis spathis semen effundentibus, sive iisdem spathis fissione sua sensim in dactylos deciduos maturescentibus; utrum enim horum

spectârit, non expedio. Qua si imagine usus est, sequens נגלו non, *convolventur*, vertendum, sed, *evolventur*: libro enim evolvendo spatha, quæ findi incipit, non absimilis.

Displicet forte, quod *exercitus* cœli findi dicitur, quam diversissimarum imaginum confusionem dudum auctore Horatio poetæ damnant: sed locum habere hic possit, quod monere alias soleo, non nimis certam esse interpretationem verborum צבא השמים, de *stellis* positorum, per, *exercitus cœli*: plantæ enim, totusque terræ ornatus, incommode *exercitus terræ* dicerentur Genes. ii. 1. ubi vertendum suspicor: *quidquid in cœlo terraque oritur*. Arabibus enim صبا significat *oriri*, quod et plantarum est, et siderum. Ita sensim mollescet oratio, fietque sui similior, ut probari Orientalium auribus potuerit, licet Latine vix vertenda, partim quod tota hæc imago, nec iis quæ sequuntur exceptis, nimis est Latinis insolens, partim quod a palmis desumta, Latio non minus quam nostræ ignotis Germaniæ.

(89) Adde quæ scripsi in nota 42. et maxime §. xi. *commentationis de historia et origine maris mortui*, quam Societati regiæ Scientiarum recitavi, ubi verisimile feci, in vicinia maris mortui naphthæ fontes ardentes et esse, et tempore Jesaiæ fuisse, qui hic late arsuri in Idumæa dicantur. 269. n. 1.

(90) Cur opus sit, spiritualia gratiæ dona intelligere, non florentem rei publicæ statum, ubi vastatæ Idumææ opponitur Palæstina; aut quomodo versus quintus ac sextus ad Messiæ, cujus nulla omnino mentio, miracula pertinere possint; non intelligo. Mihi quidem Idumææ vastitas, florente Palæstina, describi, eademque, quæ Malach. i. 1—4. scena institui videtur. Vastitatem non majorem prædicit Jesaias, quam quæ Idumæorum priscis sedibus longo jam seculorum tractu incubuit: Idumæam etiam nominat, in quam inebriatus reliquorum hostium sanguine gladius Jehovæ, magis jam襲 ferociens et iracundus hoc tanquam vino, descensurus sit. Hæc cur mystice et ænigmatice accipimus? Ænigmatis certe, quo totum genus mysticum pertinet, et poematis grandisoni, naturæ et leges sunt diversissimæ: illud artis est laboriosæ et exilis, hoc totum impetus et sublimitatis, artificii fastidiosum. Si quibus Idumæa nimis videtur ignobilis, cujus interitus tanto celebretur carmine, meminerint, res antiquas nobis minutas esse, quod historiam ignoramus, easdem vero olim maximas esse visas coævis. Nec obstat omnium gentium, quæ præ- 272. n. 3.

ceſſit, mentio; harum enim ſanguine inebriatur gladius Jehovæ, antequam in juratos Iſraelitarum hoſtes, Idumæos deſcendat. Quid ſi canantur Nabochodonoſaris victoriæ, per totam ante Aſiam late graſſaturi, ac tandem vaſtaturi Idumæam, quam nullius Cyri clementia recreabit? Sed hic me hiſtoria, ſola vaticiniorum fida interpres, neque ex vaticiniis colligenda, ſed credenda teſtibus, deſtituit. Poematis decora exquiro, non interpretor prophetam.

Miracula Meſſiæ verſibus 5 et 6 omnino non deſcribi videntur. Nulla prophetæ, nedum Meſſiæ, talia patrantis mentio, ſed ex mutato rerum omnium ſtatu eventurum dicitur, ut claudi etiam ſuperante gaudio exſultent, muti clauſa diu ora in lætos clamores reſolvant, ſurdique verba prophetarum audiant et intelligant. Non hæc monuiſſem, niſi myſticas interpretationes, nimiſque theologicas ac minutas, decori et tanquam lumini carminis ſacri officere arbitrarer.

277. 13. (91) Vereor tamen, ne hic multa finxerint interpretes, Jeſaiam pro lubitu in multa diſpertientes vaticinia, ſive, ut aliqui dicere ſolent, libellos propheticos. Ut exemplo utar, non video quid prohibeat, quin tota illa ſerie a capite 40 uſque ad 66mum unum modo vaticinium decurrat. Parum dixi. Si res ferret, argumentis etiam probarem, nuſpiam hanc unius vaticinii ſeriem apte divelli poſſe.

277. 23. (92) Obſcuriuſcule dictum. Plura argumenta tractat Jeſaias, ſed eodem in carmine. Quid ſenſerit auctor, pro certo dicere nequeo: videtur tamen re mecum conſentire, nec Jeſaiam in libellos, aut vaticinia, pro lubitu dirimere voluiſſe.

279. 7. (93) Iraſci pene ipſi mihi, ſuſpectiorque videri debeo, quod in re, quæ tota ſenſus eſt guſtuſque poetici, Lowthio adſtipulari nequeo, quantumvis allaborârim meos ſenſus ad ejus ſententiam formare. Mihi enim in Ezechiele non ſublimitas laudanda, nedum Jeſaiana, videtur, ut potius in exornandis amplificandiſque imaginibus plus artis et luxuriei eum habere dixerim, quam cum impetu et ſublimitate poematis conſiſtere poteſt. Perpetuus aliqua ex parte imitator eſt, et tamen novus ac ſuus, non grandis, ſed ingenioſus: imagines enim, quibus jamdiu ante poeſis Hebraica adſueverat, inventas ab aliis ſed per tranſennam modo unico oculorum conjectu viſas, certe in quibus non diu morati erant, totas abſolvit, ita plene, ita copioſe pingens, ut nihil addi poſſe, nihil in mente lectoris relinqui dixeris: quod faciens uberis quidem

ingenii laudem recte consequitur, atque etiam hoc lectoribus præstat, ut antiquiores poetas perfectius intelligant; minus tamen percellit, aut in admirationem rapit.

Rem in exemplo ponam, sed unico: plura ipsius prophetæ lectio dabit. Frequens optimis poetis, in descriptione magnarum cladium, avium carnivorarum mentio, sed brevis. Homericum illud, in Iliadis initio positum,

αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι

quis ignorat? Prosaicæ etiam apud Hebræos et militaris jactantiæ est, *carnem tuam dabo volucribus et feris*, 1 Sam. xvii. 44. Nec poetæ Orientales phrasin ignorant. Sumo, quod in libello de lingua Hebraica intelligenda (**Beurtheilung der Mittel, die man anwendet, die ausgestorbene Hebräische Sprache zu verstehen**) p. 297—307. probare allaboravi; עיט recte a verteribus volucres reddi. Jam ergo Asaphus, Ps. lxxviii. 48. *jumenta illorum grandini, et greges volucribus dedit.* Sublimior Moses, Deut. xxxii. 24.

Tela mea consumam in illis.
Exesi fame, præda volucrium,
Pestisque atrocissimæ!
Dentem etiam ferarum immittam in illos,
Iracundiamque repentium humi.

At utroque excellentior Habbaccucus, c. iii. 5, de Jehova hostes victuro,

Ante illum ibat pestis,
Vestigia legebant alites.

certæ nempe prædæ. Paulo copiosior Jesaias eo loco quem p. 268, 269. attigit noster, sed ita ut avium, ac tanquam convivarum, expressam mentionem non faciat: c. xxxiv. 6, 7.

Sacrificium Jehovæ est Bosræ,
Ingensque in Idumæa epulum.
Procumbent oryces cum illis,
Bovesque cum tauris.
Madefiet terra illorum sanguine,
Pulvisque adipe pinguescet.

Hæc omnia, et quis dubitet, plura, animo complexus Ezechiel,

imitarique univerſa, nec quidquam eorum dimittere, ſtudioſus, non repertis, qualia erant, uſus eſt, ſed ſingulari ingenii ubertate luxurians, novis fictionibus amplificavit, dumque omnia canendo exhaurit, quæ in magna ſtrage eventura videntur, nova quodammodo ac ſua fecit. Primo etiam Magogi clade prædicta, c. xxxix. tantum apparatus bellici armorumque inſtratum agris videt, ut per vii. annos igni alendo ſufficiat Iſraelitis: videt locum ſepulchris cæſorum deſtinatum, æternum inde nomen habiturum, quod ipſum expreſſit: narrat modum cadavera inſepulta notandi: omnia parerga, luſus omnes pictoris abſolvit, ut vix quidquam lectori ſuſpicandum intactumque relinquere velle videatur: deinde et hæc addit, audacter ac quodammodo nove dicta: *Sic, fili hominis, dixit Jehova, dic volucribus omni alarum genere inſignibus, omnique feræ agri: congregamini et venite, coite undiquaque ad epulas, quas vobis inſtruo, epulas ingentes in montibus Iſraeliticis. Carne veſcemini, et bibetis ſanguinem: carnem heroum comedetis, et bibetis ſanguinem principum terræ, arietum, agnorum, hædorum, boum, ſaginatorum Baſanitidis univerſorum. Comedetis adipem ad ſatietatem, et ſanguinem ad ebrietatem bibetis, in epulis meis, quas vobis inſtruxi. Satiabimini ad menſam meam equis, et quadrijugis, heroe et milite, inquit Dominus Jehova.* Ez. xxxix. 17—20. Legere hic mihi videor poetam, quidquid figurati et ficti animo concepit non facile dimiſſurum, carminique deeſſe ratum, quidquid picturæ veriſimiliter addi poſſit: atque hac ipſa de cauſſa, quod nihil pulchri negligit, mediocribus propiorem quam ſummis. Hæc Ezechielica autem en ut contraxit, perpetuus ipſe imitator, ſed diviniore ingenio natus, et in cujus proſaico tanquam carmine omnia ſplendeſcunt, auctor Apocalypſis: *vidi angelum in ſole ſtantem, qui voce magna acclamabat volucribus omnibus cœlum pervolantibus: venite et congregamini ad magni Dei convivium, ut veſcamini carnibus regum, et tribunorum, heroum, equorum, et inſidentium illis, carnibus omnium, ingenuorum et ſervorum, parvorum et magnorum.* Apoc. xix. 17, 18. in eo etiam artifex, quod hæc ante prælium commiſſum collocavit, exſpectationem lectoris augens, ac de victoria certus; pene ut internecioni deſtinatos exercitus præſagas exitii aquilas comitatas eſſe, narrârunt, et pro omine habuerunt, hiſtorici.

Sed plus etiam facit Ezechiel, ita delectatus hac imagine, ita intentus aviis Pieridum locis nullius pede tritis, ut arbores etiam, pro imperiis poſitas, det volucribus; umbras earum, quod ipſum novum poetiſque certe biblicis intentatum, ſedibus inferorum

tranſcribat. Sic ille c. xxxi. 13—17. *in trunco ejus habitabunt omnes volucres cœli, et in ramos ejus ruet omnis beſtia agri, ne porro ſuperbiant arbores irriguæ, nec verticem inter implexa condant, illaſque adorent reliquæ bibentes aquam* (nomen eſt poeticum arborum) *ob ſublimitatem: omnes enim morti debentur, inferis deſtinatæ, in turba hominum deſcendentium ad foveam ituræ. — Sono ruinæ contremiſcent gentes, cum eam ad inferos detrudam, ad deſcendentes in foveam; ſolamen omnibus arboribus Edenis, quæ apud inferos degunt, lectiſſimiſque Libani, omnibus aquæ potatricibus. Et hæ cum illa iverunt ad inferos ad confoſſos gladio.* In his novitatem fictionis, multiplicis artis varietatem, fœcunditatem ingenii, facile admirati, ſublimitate tamen non percellemur.

Oblitus fere eram, monere, eo tempore vixiſſe Ezechielem, quo jam deſidere cœperat linguæ Hebraicæ decus et majeſtas, aureæque ætati ſuccedere argentea, ferream brevi tractura. Cum Latinis vatibus declinantis jam Romæ eum comparantes, inveniemus, ſimilem ſibi in gentibus diverſiſſimis fuiſſe poeticæ facultatis ſenſim obrepentem ſenectutem. Confer Lowthum p. 122, 123.

Hic ſi qui mihi iraſcentur, quod non omnia in Ezechiele ſumma eſſe exiſtimo, cauſſamque religionis lædi in ejus poemate ſuſpicabuntur, legant, peto, quæ in præfatione Tomi i, pag. viii. ix. ſcripſi.

(94) Accuratius legens Habbaccucum, multum inveni ſuperiorum poetarum imitatorem, ſui aliquid et novi addentem; non vero ut Ezechielem, ſed brevem, valdeque ſublimem. Ezechiel plerumque nimia copia infra illos deſidet, quos imitatur; Habbaccucus illos aut ſuperat, aut æqualis novi tamen quid habet. Erit alius de Habbaccuco agendi locus in commentario critico. 282. 14

(95) Poterat etiam exempli loco proponi vaticinium, quod Sibyllæ Virgilius in ſexto Æneidos libro tribuit, in quo exſtaſis prophetica ita ſcite exprimitur, ut non parum ad naturam vaticinii intelligendam ars et imitatio Maronis conferre poſſit. 284. 5.

(96) Pauca addere de carmine alphabetico animus eſt. Primo ergo, id ipſum, quod lamenta ſua ad literarum ordinem digeſſit Jeremias, memoriæ præficarum, lamenta ediſcentium, ſerviens. Ac forte prima hujus artificii origo in lamentis: unde paulatim ad alia carmina, a pueris ac plebe ediſcendis, ut illis pro ſententiis uterentur, tranſlatum: neque ars, ſuapte natura exilis, in tanto Hebræis honore fuiſſet, ut primarii etiam poetæ illam ſuis 296. 5.

carminibus haud indignam cenſerent, niſi neceſſitas eam primum in threnis vulgâſſet. Deſinunt enim indecora videri minuta ejuſmodi artificia, ſi neceſſitatis uſuſque potius, quam artis videantur. Quod quidem ſecus apud nos comparatum eſt. Quem enim magnorum apud nos poetarum non pudeat, alphabetica carmina condere? quis non illa aut Germaniæ quibuſdam partibus, a linguæ decore literarumque elegantia alienioribus, aut certe illis ludorum magiſtris relinquat, qui arte, non diviniore impetu, poetæ fiunt?

Quamquam et alia reddi ratio poteſt diverſi apud nos Hebræoſque pretii hujus artis. Linguæ enim noſtræ natura accidit, ut perdifficilis illa ſit, literis D et W nimis ſæpe in initiis verſuum recurrentibus, earumque altera, quando articulus der, die, das, pronomenque daſs ponendum eſt, vix ſine ſententiæ jactura, aut totius orationis immutatione, loco movenda. Quod literas initiales cujuſcunque carminis numeranti obſcurum eſſe non poteſt. Contra a literis X, Y, Z, tam paucæ voces incipiunt, ut bonum ab illis, reliquoque carmini aptum verſum, in quo nulla adpareat artis adfectatio, exordiri difficillimum plerumque ſit. Ars autem tam exilis, parum in pleriſque carminibus uſus, delectationis fere nihil habens, ſed ſolam artificii oſtentationem, ridicula et puerilis cenſeri ſolet, ſi tantum habeat difficultatis. Taceo, poemata vix bona fundi poſſe, ubi animus his minutiis intentus eſt, exili cura cœleſtem furorem, cujus primæ ſunt et ſecundæ et tertiæ in poeſi partes, temperante et deprimente. Hebræorum quidem carmina alphabetica, exceptis Jeremiæ Lamentis, et Pſalmo xxxvii. mediocris potius quam ſublimis generis ſunt: noſtris vero auribus etiam in mediocri carmine ejuſmodi artificium diſpliceret, quia magnorum poetarum nullis exemplis honeſtatur.

Carmina alphabetica ſupra p. 19. indicavit noſter, facile in ſua genera diſpertienda. In his autem condendis nonnihil licentiæ ſibi arrogant Hebræi, uti fieri in omni ejuſmodi artificio aſſolet. Quo pertinet, quod in Pſalmo xxv. litera Vau non ſuum habet verſum, ut reliquæ, ſed modo poſterius verſus quinti hemiſtichium, ילמדני, Kuph vero etiam in media voce ממצוקתי (v. 17.) poſitum ſuffeciſſe poetæ creditur. Referri eodem poſſet, quod verſu ſecundo ante בך legitur אלהי: quam vocem, literarum ſeriem turbantem, eliminare, ac librariis relinquere non audeo, quia omnes eam priſci interpretes legerunt. Forte tamen

אלהי non ad initium verſus ſecundi, ſed ad finem primi referri debet, hoc ſenſu: *ad te, O Jehova, adſpiro, tanquam ad Deum meum.* In Pſalmo xxxiv. itidem Vau non verſum, ut debebat, ſed hemiſtichium exorditur: nec ſuſpicio eſt, male Maſorethas verſus hic diſtinxiſſe, aurium certe judicio cauſſa non cadent. In Pſalmo cxlv. deeſt verſus a Nun incipiens: quam excidiſſe totum ſuſpicor.

Ad hanc poetarum in minuto artificio libertatem non refero, quod Pſalmo xxv. additur poſt ת verſus alius a פ incipiens: idem enim et in Pſalmo xxxiv. fieri video. Forte cum duplex ſit literæ פ appellatio, F et P, ſigno aliquo figuræve diverſitate priſci eam notârunt: unde ſenſim accidit literæ, quod apud Arabes literis puncto diacritico ob mutatum ſonum notatis, ut duplex haberetur, figuraque ejus recentior reliquis viceſimo tertio loco poſtponeretur: aliis numerum antiquum ſervantibus, et utramque figuram pro unica litera habentibus. Scio, quid hic obverſuri ſint grammatici: nempe, in פְּנֵה et פְּנֵי (Pſ. xxv. 16. xxxiv. 17.) non minus פּ Dageſſatum ſeu P eſſe, quam in פְּדֵה et פּוֹדֶה, quæ in extremis his Pſalmis leguntur: non ergo diverſam literæ in his vocibus appellationem, ſed unam eſſe. Neſcio autem, an multa in Dages et Raphe commentitia ſint, Maſorethiſque potius, quam antiquæ Hebraicæ debita. Ad leges nimis minutas Dages lene ponitur tolliturque, quarum in lingua Arabica nullum veſtigium, nullum in vocibus Hebraicis Græce Latineque ſcriptis ab Origene, Hieronymo, reliquiſque antiquis. Sed hanc cauſſam dicendi hic non eſt locus.

Poſſunt rei criticæ aliquem uſum præſtare carmina alphabetica. Indicio enim ſunt, non ita turbata omnia ac corrupta eſſe in Pſalmis, ut voluere aliqui, reſtituere ſuis conjecturis antiquam lectionem profeſſi. Hunc tamen uſum indicâſſe ſufficiat, de quo alia forte dabitur uberius dicendi occaſio.

(97) Mihi vero Joſephi ſententia non veriſimilior modo Low- 298. n.
thiana, ſed et prope certa. Primo enim attente carmen perlegens, nihil inveni, quod non cæſo Joſia canere Jeremias veriſſime potuiſſet: neque id negaturus videtur noſter fuiſſe, ſi magnitudinem cladis ingentis, ſed breviter narratæ ab hiſtoricis, animo complexus eſſet. Cum rege, in maximam ſpem cives tollente, cumque exercitu, una ruina conciderat patria et reſpublica: Hie-

K 2

rofolyma tertio a clade menfe cum novo rege in poteftatem victoris venit, peregrino fervire domino, atque ab ipfo regem tributarium accipere coacta: neque hæc fine atroci obfidione, mœniumque Hierofolymæ ruina evenifle cenfendum eft, licet brevis taceat hiftoria; quis enim fufpicabitur, tribus menfibus federe voluiffe victorem, nec oppugnare urbem, creato rege bellum reparantem; aut cui tam videbitur imbellis Joachazus ac væcors, ut fine pugna regno cefferit, captivumque fe regi Ægyptio permiferit? Hujus oppugnationis mentionem defiderare videntur, qui Jofiæ tempori abjudicant threnos, in quibus ruinarum, everforumque mœnium defcriptio: hanc ergo fi teneo, nihil impediet, quin hi ipfi threni in Jofiam dicti fint. Teftem quippe habemus Paralipomenorum auctorem, (2 Paral. xxxv. 25.) Jeremiam mortem Jofiæ lamentis profecutum effe, ad pofteritatis memoriam, una cum aliorum poetarum elegiis, fervatis. Quid ergo, cur dubitemus, quin threni Jeremiæ a nobis lecti fint iidem celebres threni, a chronicorum auctore laudati? aut quid cauffæ eft, cur ad aliud illos malum referamus, in quod elegos dixiffe Jeremiam non liquet.

Sed et accedit, quod aliqua in threnis legimus, tempori Nabochodonofaris, combuftique cum tota urbe templi neutiquam apta: ut cum c. iii. 27. fuas his verbis fallit folaturve poeta moleftias: *conducit viro, onus fuum portare in juventute.* Juvenis hæc vox, non fenis, qualem undecimo Sedeciæ anno fuiffe Jeremiam oportet. Illum autem c. v. 7. *patres noftri, qui peccarunt, non fuperfunt; nos culpam eorum fuftinemus*, illorum nomine, qui fub Sedecia vixerunt, dici prope nefas: ob fua enim peccata deterrimi mortalium, progeniefque patribus avifque multo vitiofior, plectebantur; nec opus tam longe cauffam malorum arceffere. At veriffima vox Judæorum fub Jofia, rege religiofiffimo, et facrorum inftauratore, fub quo, fi unquam, a patrum peccatis purificatus eft populus, ob peccata majorum, Manaffis maxime, Deo reus. Illuftria funt, et digna quæ hic legantur, verba hiftorici facri: *fimilis illi rex non fuit ante ipfum, qui toto corde, et animo, et intentione fecundum totam legem Mofis ad Deum rediit; nec poft illum fimilis exftitit. Et tamen Jebova non remifit ab ira ingente contra Judæos, propter ægritudinem, quo eum adfecerat Manaffes,* 2 Reg. xxiii. 25, 26.

199. 2. (98) Non fatis ad leges grammaticas לוא, quod eft NON, vel,

NONNE, vertitur a plerifque atque etiam a noftro, NIHILNE. Illuftrius prodibit poema, fi verius reddideris, *non ad vos, tranfeuntes in via*, fc. clamo. Verfus fuperior in hæc defierat

ראה יהוה והביטה כי הייתי זוללה

Vide, Jehova, et attende, fum enim lapfabunda!

Jam fubjungit:

> Non vobis, tranfeuntes in via *(fc. acclamo)* attendite et videte *&c.*

Id eft: non vobis, tranfeuntes in via, hæc acclamo, non vos, qui hanc meam querelam audiviftis, fpectatores advoco et æftimatores doloris. Vos mihi condolere non poteftis: quis enim dolor par dolori meo?

(99) Nollem elegos dicere, qui flebiles effe et exiliores debent. 302. 3.
Tragicus in poemate Jobi, et fublimior, et furens luctus dominatur, ut flebilis in elegis.

(100) Elegantiffimi carminis fas fit fenfus ac Veneres expli- 304. 30.
care. Illo videtur tempore compofitum, quo filium degenerem fugiens David, ad tutas fe Libani radices receperat, quod eum feciffe, ac feptentrionalia Palæftinæ, ejus quæ ultra Jordanem eft, petiiffe, ex 2 Sam. xvii. 24, 26, 27. manifeftum. Is certe, qui in hoc Pfalmo loquitur, fede facrorum pulfus, et exful, v. 5, 6. circa Hermonem, fummum Libani jugum, æternis nivibus Jordanem alens, oberravit: v. 7. quæ loca nunquam adiit David Saulum fugiens, fed in meridionalibus Judææ latuit.

Hic ergo cum in aliquo mediocri colle, (הר מצער) caftra pofuiffet, vicinitate montium et filvarum tuta, ad quæ veterani ex omni Palæftina confluerent rebus novis non delectati: arripuit credo carminis condendi occafionem, cervis vifis, qui ex fubjectis vallibus longo agmine quotidie montem notofque Libani fontes aquationis cauffa petebant. ערג enim, indice Arabico عرج non tam eft fitire, quam *afcendere*. His ergo fe Dei templique cupidiffimum comparans, altiufque jam et cœlefte Dei templum fpectans, cecinit:

> Ut cervus ad aquæ rivos fcandit,
> Ita defiderium meum ad te afcendit Deus.
> Deum fitit anima mea, Deum vivum:
> Quando intrabo, eique comparebo!

Intrabo: nempe in templum, a quo exſul ſum. Addit lacrimarum et luctus acerbiorem ipſo exſilio cauſſam; maledicas civium voces: præ ſe tuliſſe ſævum dominum Dei amicitiam ac cultum, religionis ſpecie tyrannidem invaſiſſe, Saul poſteris eripuiſſe regnum, ſanguiniſque ſitim illorum ſanguine reſtinxiſſe; jam hunc juſte a Deo deſeri, nec uſpiam comparere illud præſentiſſimum, quod ſemper jactaverat, numen. Confer 2 Sam. xvi. 7, 8. Nulla vox truculentior honeſto pectori, veræque ſibi pietatis conſcio:

> Eſt mihi lacrima cibus
> Interdiu et noctu,
> Cum dicunt jugiter:
> Ubi eſt Deus tuus?

Hoc, hoc Dei nomen auditum, tam ſibi deſiderati, novo vulnere animum ſauciat: hoc eum exclamare cogit: אֱלֹה אזכרה, *Dei recordor, inque lacrimas diſſolvor.* Sic enim אלה efferre jubet, non, ut puncta Maſorethica jubent, אֵלֶּה *horum recordor*; obſcuro etiam ſenſu, quæ ſint, quorum recordatur. Sed hæc auribus quilibet judicabit melius quam argumentis, modo præjudicatum ei non ſit, a punctis nunquam deſciſcere?

> Dei recordor, et effundo ſuper me lacrimam deſiderii indicem:
> Cum irem in turba ludens ad templum Dei,
> Voces inter clamantium ac gratulantium, turbamque ſaltantem.

Compeſcit jam querelas:

> Quid lacrimis diffluis anima?
> Quid ſtrepis ſuper me?
> Spera in Deum, adhuc celebrabo eum.
> Salus eſt ejus vultus.

Sed iterum vincitur in lacrimas, quibus eleganter miſcet poeticam Libani deſcriptionem. Sunt illis in jugis frequentiores, ut teſtantur itinerum commentarii, catarrhactæ, rivique nivium verna tabe ſupra modum turgidi; eſt Phiala, undique præcipites magno cum ſtrepitu aquas hauriens, et ſubterraneo meatu Jordanem fundens: qua de Phiala recte cogitavit *Sebaldus Rau*, vir eruditiſſimus, in *exercitatione philologica* ad hunc Pſalmum. His ex regionibus, lætis natura, ſed exſuli triſtibus, celebritatis recordatur urbis ac templi, (liceat ita vocare tabernaculum) ipſiuſque, qui in templo habitabat, Dei: utique eſt dolor in ſua

ubique imagine invenienda ingenioſus, ſic et his fluctibus, huic catarrhactarum horrori, fluctus comparat malorum, quibus ſuum caput mergitur. Frequens poetis locus, unde plurimum decoris petunt, ſed itá, ut raro comparationem totam explicent, ne nimium artis, parum adfectus, habere videatur. Jam ſuo carmini lugubri Philomelam concinere, ſecumque dulce flere putant, quæ

> Amiſſos queritur fœtus:

jam plangens mare ſuo planctui condolere, quod pene in initio carminis tentâſſe unico epitheto videtur poetarum pater, Iliad. A. 34.

> Βῆ δ' ἀκέων παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης.

Habe jam carmen Davidis:

> O Deus, anima mea diffluit,
> Recordor tui ex tractu Jordanis, et Hermonis,
> Ex humili monte.
> Mare acclamat mari ſonantibus canalibus tuis;
> Omneſque fluctus tui ſuper me tranſeunt.

Reliqua mitto. Hæc quæ interpretatus ſum, carmine etiam Latino ſubſequerer, niſi ejus inde a xx. annis deſuetudo obſtaret: Germanice tamen eadem canendi periculum feci in paginis libro huic ſubjunctis.

(101) Hæc ſi poetica ſunt, figurate fortaſſis accipi debent. 306. n. 11.
Et qui poſſunt proprie intelligi? Illa enim in valle ſi integrum diem ſol ſtetit, opus non erat, addi, et lunam ſtetiſſe, cujus exiguo lumine jam non opus erat hoſtem perſecuturis: nec illa, ſi plena erat, eodem cum ſole tempore ſupra horizontem exſiſtere potuit. Si autem, ut eſt in Hebraicis, ſol non in horizonte ſtetit, ſed *in medio cœli*, ſolque et luna valli eidem, in qua prælium commiſſum, imminuit, nullum omnino potuit lunæ lumen eſſe, quippe cujus pars illuſtris, ſoli obverſa, averſa a terra fuit. Difficultatem auget Habbacuci locus idem prælium deſcribens, Habbac. iii. 11. ubi additur, *ad lucem ſagittarum tuarum*, id vero eſt, fulminum, *iter faciebant:* quid enim fulminum luce opus, ſi medio ex cœlo ſol omnia illuſtrabat?

Difficile, fateor, dictu foret, quid proprii huic tam audaci figuræ ſubſit, niſi eundem Habbacucum haberemus interpretem, qui cladem Phœnicum, grandine etiam et gravi tempeſtate proſtratorum, deſcribens, in hunc modum cecinit:

Sol, luna, ſtetit in loco ſuo:
Ad lucem telorum tuorum profecti ſunt,
Ad lucem fulminis ſagittæ tuæ.

Si hic, ut ſæpe in carmine Hebræo, poſterius hemiſtichium explicat prius, crebri fulminum jactus, cœlumque ſemper patens, Iſraelitis pro ſole fuerunt, totamque ita noctem illuſtrârunt, ut nullibi latere fugientes poſſent: quod aliquis poeta, libro Jaſar inſertus, atque ab Habbaccuco grandiſona et brevi imitatione delibatus, hac figura effari auſus eſt: ſolem lunamque in medio cœlo juſſu Joſuæ ſtetiſſe, Deumque, victoris precibus motum, feciſſe, quod nunquam antea, ut nox pro die eſſet. Ipſo quidem in prælio graviſſimam tempeſtatem Phœnicibus immiſiſſe Deum, auctor eſt hiſtoricus ſacer: quæ facile per totam noctem durare potuit.

Conjecturam de loco difficili, incertam, (fateor) ut in tanta rerum antiquitate ac paucitate teſtium, eruditis proponere judicibus auſus ſum, melius de illa et deliberatius arbitraturis. Quibus ſi vel errare viſus fuero, conatum tamen non reprehendent illi certe theologi, qui veriti, ne annalium ſacrorum fides hoc tam ſingulari miraculo laboret, ipſi aliquid tentârunt; ex quibus honoris cauſſa nomino S. V. Heumannum, in *nova interpretatione duorum locorum*, alia licet ratione verbis Joſuæ miraculum eximentem. Eſt quidem veri diſſimile, Deum miraculo uno omnium maximo ac latiſſime patente, quod ad totam rerum univerſitatem pertineret, turbaretque aſtrorum curſus, rem efficere non magnam voluiſſe, ſtragem majorem victi exercitus, in quo quantilla erat pars incolarum Aſiæ? Meminerimus, aliorum Dei operum hanc eſſe laudem ſolere, quod rebus minimis efficiat maximas. Nec temere aliud miraculum funeſtius et perniciosius toti terrarum orbi eſſe potuiſſet: qui ſi unico temporis momento in rapidiſſimo curſu ſiſtatur, omnia ex priſtino motu verſus Orientem nitentia ruent, multoque quaſſabuntur gravius, quam fieri ullo terræ motu poteſt. Sub zona autem torrida ſi dies pro xii. horis xxiv. ſolem habet, et vero per xii. horas eodem in loco continuo meridianum, neceſſe eſt, omnia ibi torreri ac pene conflagrare. Æſtus ejuſmodi magnitudinem numeris et ratione æſtimans mathematicus, meus, ſpero, erit. Multo etiam gravius ex imminente luna, non damnum, ſed diluvium, ſed [illegible]rum internecio gentium. Hæc enim cum fluxum et refluxum moderetur marium, ſub luna me-

ridiana tumeſcentium; xii. horas in eodem cœli gradu morata faciet, ut maria ei gradui ſubjecta et vicina per xviii. horas integras continuo creſcant, immoderatius etiam ſolito per illas xii. horas, quibus lunæ ſubſunt: ex quo fiet, ut regiones vicinæ omnes, ſolis montibus exceptis, ſubmergantur. Exigua ſunt, huic æſtui maris comparata, diluvia quæ evenire ſolent, adverſo vento refluxum maris impediente: aliud enim eſt, non decreſcere per vi. horas æſtui interjectas, aliud, per eaſdem et alias vi. horas continuo intumeſcere, et vero eo fervore et impetu, quo mare ſub ipſa luna meridiana poſitum creſcere ſolet.

Nec ergo magnam res ſacra jacturam faciet, hoc miraculo demto, modo ita dematur, ut et Joſuæ liber ab omni erroris mendaciive ſuſpicione liberetur. Cum enim finis miraculorum ſit, ut veritas revelationis divinæ adſtruatur; non video, quid contra adverſarium religionis revelatæ hoc miraculo profici poſſit: negabit enim, uni ſe teſti, et vero anonymo, auctori hiſtoriæ Joſuæ, rem tam ſua natura incredibilem credere poſſe.

Nec tamen diſſimulandum, quid conjecturæ meæ obſtet, nempe quod poſt illa verba, *nonne hoc ſcriptum eſt in libro Jaſar*, pergitur adhuc in miraculi deſcriptione. Dicendum ergo, verba hæc carmini medio, quod ex libro Jaſar citatur, inſeri: quod a conſuetudine citantium abludit. Nec etymo tituli a Lowtho prodito ſatis aſſentior:* tum quod יָשָׁר non ſignificat, *canebat*, pro quo יָשִׁיר ſcribendum fuiſſet: tum quod articulus ה præmittitur, nec dicitur ספר ישר, ut ספר בראשית, ſed ספר הישר. Verum de etymo titulorum non valde laboro, reliquis argumentis facile contentus, quibus Lowthus effecit, collectionem poematum eſſe. Nec denique ignoro, fuiſſe, qui ex tabulis eclipſium Sinenſibus hanc moram ſolis ingenioſe probare conatus eſt. Vide *Gentleman's Magazine* 1758. *Nov.* p. 512, 513. Vereor tamen, ut Sinenſium tabulis tam antiquis fides haberi poſſit, cum vel multo recentiores a Jeſuitis correctæ dicantur, optimique hiſtoriæ Sinenſis auctores negent, ultra xii. aut xv. ante Chriſtum natum ſecula tuta figi veſtigia. Sed hæc quæſtio aſtronomica nimis a meo remota eſt ſtudiorum genere, quam ut quidquam aut aſſeverare aut inficiari auſim.

(102) Non improbabilis conjectura. Poſſit tamen et קשת 306. 21.
metrum ſignificare, i. e. carmen metrice compoſitum, a قوس

menſurare, قِيَاس *regula, menſura.* Conſuetæ explicationes, filo orationis ineptæ, diſplicent.

308. ult. (103) Plus paulo ineſt phraſi, quam ſuſpicari noſter videtur; magnanime enim querulus, et amicus et regni hæres, vindictam minatur. Sed hoc altius ex uſu poetarum Orientis repetendum. Verba Hebraica in quamcunque linguam verſa legenti, apparet, poetam diras agris imprecari, in quibus Saul et Jonathan occubuerant, non pluvia non rore humectandis. Addit in eandem ſententiam, ושדי תרומה, *et vos, O agri ſacri.* Sacros nempe agros coli nefas, unde et olim, ſacrare agros vel ædes, in pœnis fuit Orienti. Notum eſt חֵרֶם ſeu *anathema* Hebræorum, agros conſeri, ædificari urbes, vetans: Joſ. vi. 17, 19, 21, 26, 27. Num. xxi. 3. Deuteron. xiii. 16, 17, 18. Chaldæi ædes illorum, qui gravi ſe ſcelere obſtrinxerant, נְוָלִי *donum,* eſſe jubebant, Dan. ii. 5. quod vocabulum male vulgo vertitur ſterquilinium, (in urbe enim celebri, nedum in regia, quis ſterquilinia toleret?) rectius derivandum a نَوَل *donare, Deo dicare.* Volebant autem Orientales, agros, in quibus cædes facta, non humectari rore, dum ultionem ſanguinis aliquis ſive Deus ſive mortalis meditaretur. Nota Arabibus phraſis, دَم مُطَلّ, *ſanguis rore conſperſus,* pro ſanguine, cujus ultionem nemo ſuſcipit. Sic in carmine *Taabbataſerræ,* quod in Schultenſii grammatica Arabica p. 416. in mea chreſtomathia p. 71. legitur, ſub fiſſura petræ cubare dicitur, قَتِيل دمه ما يُطَلّ *occiſus, cujus ſanguis non irroratur,* quod ſtatim explicat poeta, *mihi onus reliquit, et exſpiravit, ego vero illud ſuſcipio.* Schultenſius quidem phraſin recte, non ejus originem, intelligens, vertit, *cujus ſanguis non rorat,* rorare exiſtimans ſanguinem, qui ebulliat vindictæ avidus. Quod pulchrum eſt, fateor, et fabulis Orientalium concinens, ſed contra vim verbi paſſivi: يُطَلّ enim ex punctis, مُطَلّ etiam ex literis, paſſivum eſſe agnoſcitur, itemque مطلولة in alio verſu quem Schultenſius citat: *ſanguines eorum ultorem non nacti,* مطلولة *rore conſperſi.* Intelligemus jam, cur et Riſpa mater petram, in qua vii. ex Sauli poſteris occiſi erant, toto meſſis tempore panno contexerit, uſque dum aqua cœlitus effunderetur, idque ceu

notatu dignum Davidi renuntiatum ſit, 2 Sam. xxi. 10, 11. ſpem nempe vindictæ oſtendebat. Eſt ergo et hæc in lugubri carmine magnifica et rege digna vox Davidis, ultorem promittentis, atque etiam, quod ipſe ultionem a Philiſtæis cepit, fortior et terribilior illa Didonis in Æneide,

> Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
> Qui face Dardanios ferroque ſequare colonos.

(104) Suſpicor, בלי משיח, *non uncti oleo*, ad clypeum potius, 310. 26.
quam ad Saulum pertinere. Ungebant clypeos ex corio factos, ne fatiſcerent: eamque unctionem vulgus in religionem traxiſſe videtur, ac ſi ea clypei ſacrarentur. Poetæ autem, fidi pictores, ſi res deſcribunt, quales videntur, non quales ſunt, crebro vulgi opinionibus in ornando carmine utuntur.

(105) Hac laude Arabum maxime odas commendari dixeris, 331. 17.
non omnes quidem, ſed meliores. Vix feliciores odarum exitus obſervâſſe mihi videor, quam in poeſi Arabica. Exemplo eſſe poſſunt non pauca eorum carminum, quæ Schultenſius Erpenii grammaticæ adjecit, magis placitura, ſi minus in interpretando etymologum egiſſet vir Arabicæ eruditionis facile princeps.

(106) Eſt hic locus de odæ Davidicæ proprio charactere ali- 333. 1.
quid dicendi, in qua laudanda nonnulli magno regi, et divinitus acto, adulari quodammodo videntur, nihil majus, ſublimius, auguſtius, odis Davidicis animo concipi poſſe, omnia in hoc poeta ſumma fuiſſe, prædicantes. Unde accidit, ut nec verum characterem habeamus carminis Davidici, quo ab aliis dignoſci poſſit; et nimis laudando mediocria nonnihil etiam de vera laude dematur.

Mihi ergo guſtu potius, quam arte et argumentis, rem æſtimanti, in hoc primo odarum genere feliciſſimus fuiſſe Davides videtur, quod totum ſuavitatis eſt, ut, cum agrorum, ſilvarum, fontium naturam deſcribit: ex reliquis etiam odis has maxime præſtare dixerim, quas in utroque exſilio cecinit. Nec mirum: otio tunc abundabat poetico, adfectus experiebatur vividiores, eamque oculis et animo objectam cernebat naturam, cujus ex prima juventute memor iterum tanquam juveneſcebat. Et tamen id mirum, quod jam ſenior, cum Abſalomum fugeret, juvenilium odarum decus non aſſequutus modo eſt, ſed et quodammodo ſuperavit, ſi Pſalmus xxiii. et xlii. quod equidem exiſtimo, hujus ſunt ſenilis exſilii.

Contra, mediocriter meos ſenſus afficiunt, in quibus ſævior adfectus dominatur, ſive triſtitiæ, ſive indignationis, ne his quidem Pſalmis exceptis, qui dira omnia hoſtibus apprecantur. Satis in his dirarum, ſatis elegantiæ, atque etiam imprecationes exquiſitæ, ſed quas legens minus animo commoveor, iraſcor, percellor. Non habent hæ odæ, quas dixi, univerſæ, lugubre illud et funeſtum, quod Jobi, non oda quidem, ſed tamen carmen adfectus plenum: cui collatus quis non Pſalmus mediocris eſt et quietus? Neque præcipua odarum Davidicarum laus in dictionis ſublimitate, horrendarumve rerum deſcriptionibus; qua parte Jobo, atque etiam, me judice, Moſi concedit. Ne decimum quidem octavum Pſalmum excipio; in cujus primis verſibus plus artis et picturæ, quam horroris, videre mihi videor, licet magnam ſublimiter informari imaginem fatear; in illis quæ ſequuntur, plus etiam ſubſidere orationem, ſierique temperatiorem dixeris, quam tanto ex initio ſperâſſes. Mihi quidem odæ Moſaicæ præ hoc Pſalmo placent; atque adeo malim viceſimi noni, quam decimi octavi Pſalmi auctor haberi.

334. 3. (107) Pſalmi hujus vim et venuſtatem jure miratur noſter, non perſpectam pleriſque, licet multi tentârint noſtræ illum eccleſiæ uſibus carmine germanico accommodare. Hi vero et *parergis* odam brevitate et ſimplicitate excellentem onerârunt, et myſtice omnia atque ſpiritualiter accipientes, ænigma potius, quam ſuo ſplendens lumine carmen effecerunt.

In exilio aliquo, patriaque et ſacris pulſus David, hæc ita, niſi fallor, cecinit: domum enim Dei ſe rediturum ſperat verſu ſexto. Cum autem ex beneficiis divinis hoc unum maxime celebret, quod nulla re careat, atque videntibus et ſpectantibus hoſtibus tanquam convivio aliquo excipiatur, in illa crediderim tempora Pſalmum incidere, quibus arma filii fugiens trans Jordanem caſtra habuit, ſola commeatus difficultate in inculta regione cum exercitu aut periturus, aut a ſuis deferendus. Res autem multo accidit aliter: quod enim ſperare non audebat ad hæc repentina rebellionis non præparatus pater, et qui veteranis militibus undique ad ipſum confluentibus proſpicere non potuerat, Deus ipſi præſtitit. A bonis enim et opulentis civibus tota ipſius caſtra alebantur, ut juſtum in illo tractu colligere exercitum, et prælii ſortem experiri poſſet. Lege 2 Sâm. xviii. 26—29.

Comparat ergo ſe ovi, Deum paſtori: obviam imaginem, quæ quotidie in illis deſertis oberrabat oculis, in carmen vertens. Oves

imbelles, inermes, præda expoſita, imprudentes futuri temporis, omnia paſtori debent. Meminerimus, regem exſulem olim paſtorem eſſe. Subit jam illum hujus priſtinæ vitæ recordatio. *Jehova*, inquit, *eſt paſtor meus, nihil mihi deerit:* illius eſt, mihi de victu et paſcuis proſpicere, non meum, qui hæc omnia animo prævidere et procurare non potui. Gratiora ovibus paſcua herbæ teneræ, דשא, quæ proprie herba virgo eſt, ſemine nullo impregnata, ut illa, quæ ſemen jam concepit, עשב: Gen. i. 10, 11. In his ergo pratis, herba juvene veſtitis, recubare ſe ſub Dei tutela fingit. Ad Libanum uſque pulſus erat, per cujus juga torrentes nivibus tumeſcentes magno cum ſtrepitu ruere narrant, qui illum montem adierunt. Periculoſa hæc ovibus aquatio, nec ſatis ſana. Addit ergo, ad leniter fluentes aquas ſe duci, ubi jam in molli planitie aut ſerpunt rivi, aut ſtagnant. Oberrabant oculis valles tenebris horrendæ, ferarum luſtra; ſed in quibus optima ovibus paſcua, modo tutæ eſſe poſſint: hæ illi valles צלמות, non, ut opinor, *tenebrarum mortis*, ſed ſimpliciter *tenebrarum*, modo audeamus puncta deſerere, et legere צַלְמוּת, collato Arabico ظُلُمَاتٌ. Nihil in ejuſmodi valle tutum ovibus, niſi quod paſtoris arma tutum illis præſtant; cui ſe ſoli, ignaræ etiam periculi, committunt. Habes hactenus elegantiſſimas imagines et paſcuorum patentium, rivorumque leniter fluentium, quorum ipſa recordatione delectari ſolemus: et umbroſarum vallium, quarum horror novam et jucundam legentibus imaginem offert. Sed quæ improprie dixerat, jam magis proprie canit: ſpectantibus, invidentibus, frementibus hoſtibus, opiparum ſibi a Deo convivium parari, non aromata capiti deeſſe, non poculo ebrietatem. Eſt enim, ut ex lingua Syriaca diſcimus, propria vis verbi רוה in ebrietate. Spem inde concipit, ad loca ſacra ſe rediturum, ibique diu regnaturum.

Hæc autem ea brevitate cecinit, in qua nihil ſit, quod non placeat, nihil quod redundet, nihil quod demi non ægre feras.

(108) Ambigo adhuc, nihil de titulis Pſalmorum certi ſtatui 335. n. 21.
poſſe ratus, dum voces muſicas et poeticas orientis ignoramus. Inter has ſine dubio eſt *ſcalæ* nomen. In *Aſſemanni bibliotheca Orientali* T. i. p. 62. invenio ܡܣܩܬܐ ܕܙܡܝܪܬܐ *ſcalas odarum*, quæ tamen quales ſint, dicere non habeo.

(109) Vel etiam verte: *ut ros Hermonis, ita eſt ros qui deſcendit* 336. n. 1.
ſuper montes Sionis: i. e. populus Iſraeliticus, Sione quotannis

congregatus, rori Hermonis æquiparari poteſt. Confer Pſ. cx. 3. Movet quidem dubium de Hermone, et Relandus, et Kraſtius, (Faſc. ii. obſ. 4.) quod nivibus æternis rigidus rore madeſcere nequeat. Verum facilis reſponſio. Summa montis cacumina rigent, at radices rore eo abundantiore ſudant.

337. n. 2. (110) Non erat, cur Maſorethas et interpretes notaret noſter, ac pro conſueta aliam proponeret verſionem, quæ ne ſententiam quidem abſolvit, ſed habet, ut aiunt, ſubjectum ſine prædicato. Lege primos quatuor verſus: habebis deſcriptionem hominis Deo confidentis, in nominandi caſu, quid autem de hoc homine adfirmetur vel negetur, fruſtra requires. Quod ſecus omnino eſt in Pſalmo cxxviii. ubi, *beatus eſt qui timet Jehovam*, abſolvit ſententiam vel potius pro ſententia eſt exclamatio: *O beatitudines timentium dominum*. Quid autem, quæſo, deſiderari in hac ſententia, quam puncta vocalia fundunt, poteſt?

Qui habitat ſecretum Altiſſimi,
In hoſpitio ſeſſoris cœli pernoctabit.
Jehovæ dico: perfugium propugnaculumque meum,
Deus mi, in quo confido.

i. e. *quem in ſuam tutelam ſuſcepit Deus, ejus curam nunquam deponet. Semel in ejus domum admiſſus, noctu etiam, periculique tempore, hoſpitio ejus fruetur. Igitur dico Jehovæ*, &c. Umbram Dei, ſub qua pii diverſantur, interpretatus ſum hoſpitium, ex uſu vocis Geneſ. xix. 8. Jeſ. xxxiv. 15. (Noctis certe tempore, de quo et Pſalmus loquitur, et Lotus, non umbram deſideraveris, ſed hoſpitia.) Noctem, periculorum tempus intelligo: noctu nempe et latrones et feræ graſſantur, ipſaque caligo horrida omnia et periculi plena facit. Vide Pſ. civ. 20—24. שדי *ſummi cœli ſeſſorem* vertere auſus ſum, præeuntibus LXX. qui Pſ. lxviii. 15. vertunt, τὸν ἐπουράνιον, et concinente membrorum parallelíſmo, ex Arabico سمو *ſummam rei conſcendere*. Quod enim noſter cum pleriſque *omnipotentem* vertit, ad abuſum linguæ Arabicæ referendum eſt. Contulerunt שדי cum شديد (*potens*) contra leges grammaticas: pro שׁ enim Hebraico Arabes non שׁ ſed שׂ habere ſolent.

340. n. 12. (111) Non probo reprehendentis ſeveritatem. Quid obſtat quo minus duo per omnem Pſalmum ſibi reſpondere chori poſſint, alter Deo confidentium in adverſis, alter hos ad ſpem erigentium, eorumque admirantium felicitatem? Ipſe quidem noſter ejuſmodi choros in Pſalmis alibi et vidit [1] et laudavit: atque qui poſſet non

laudare, cum poesis Hebræorum inter saltantium choros, mutuo sibi carmine respondentes, nata et educata sit? Vide ejus Prælectionem XXX. Mihi ergo prior chorus loqui videtur versibus 1 et 2: secundus respondere v. 3—8: denuo loqui primus in primo versus noni hemistichio, atque inde usque ad finem versus 13. secundus: tandem autem Deus interlocutor venire. In quo si cum plerisque erro, argumentis rerum in viam reduci cuperem, non asseverationibus, durum id et absonum esse, quod, si lubuisset, pulchrum, poeticum, divinum. Lectionem hic cum Hario solicitare, periti et artificis non est, sed novarum lectionum nimis cupidi. De ellipsi verbi εἶπας, huic loco non apta, dicerem, si opus esset. Tralatitia illa ellipsis, sed tamen falsa. Reliquarum linguarum Orientalium peritus commode ea carebit, hanc substituens legem grammaticam: actionem ubi descripserunt Orientales, licet illis, verba etiam agentis statim subjungere, ac, tanquam res in scena ageretur, imitari.

(112) Hac personarum mutatione, quam prope singularem 343. 19.
censet noster, non opus erit, modo finem versus sexti, aliter suppleta ellipsi, pro, "*cum dialectum* populi *audirem, quem non noveram*," vertas: "*cum vocem* Dei, *quem non noveram, audirem.*" Hæc vox quæ fuerit, versibus sequentibus exponitur. Latinus, hæc si scriberet, "*legem Josepho tulit Deus, cum ignoti adhuc numinis vocem audirem: ex servitute te exemi* &c." nemini non intelligeretur.

(113) Hoc quo indicio intellexerit noster, non liquet. Diffi- 355. 10.
cilis est et periculosa de occasione Psalmorum, de quibus inscriptio nihil prodit, disputatio. Hic tamen si conjicere liceat, reprobata eorum sententia, qui Psalmum pro vaticinio habent, Europam a Christo subjugandam prædicente; malim de victoriis Davidis, auspice Deo partis, cogitare, maxime de capta Sione, 2 Sam. v. quæ loca, cum jam olim Melchisedeci tempore Jehovæ sacra fuerint, antiquas ingredi portas verus Deus optime dici potuit, v. 7. prisco sacello recuperato. His victoriis aptum est exordium, jus Dei in universam terram canens, et epinicium in fine Psalmi: quæ autem de monte sacro v. 3. seqq. leguntur, indicio sunt, non provincias in Syria Arabiave, sed urbem sanctam recuperatam cani. Quod si omnino placeat, arca Sionem deducta Psalmum factum esse, recentis tamen victoriæ, captæque urbis, cogitatio nunquam, dum eum interpretamur, ex animo demittenda est.

(114) [Melius: *qui per vitam suam non pejeravit.* נשא לשוא est 357.

ſine dubio, non, per vana numina jurare, ſed *pejerare:* quod ex loco Exod. xx. 7. diſcitur. Proprie eſt: *ad mendacium proferre,* ſeu, *nominare,* nomen Jehovæ, vitam ſuam, urbes ſacras, (Pſ. cxxxix. 20.) ſive aliud quid ſacri charique. In templo autem jurandi locus, 1 Reg. viii. 31, 32. nec ſolemniora ſacramenta ſine ſacrificio: unde hic mentio expreſſa perjurii, q. d. *nemini ibi locus perjuro*[a].]

357. n. 16. (115) Quid tamen in hac ſententia deſiderari poſſit, non video: *quærentes faciem tuam ſunt Jacobus:* i. e. ii demum Iſraelitæ veri, dignique hoc monte habentur, qui tuam faciem quærunt. Veteresne, quos citat noſter, legerint אל יעקב, an cum paucis interpretum יעקב elliptice poni pro *Deo Jacobi* crediderint, incertum eſt. Arabis certe et Æthiopis nulla in variis lectionibus Pſalmorum exiſtimandis auctoritas numeruſve, Græca interpretantium, non Hebraica. In Pſalmis idem de Vulgata verſione plerumque tenendum, alibi meliore et magis ſua.

358. 22. (116) Mallem, *portæ antiquæ:* i. e. veri Dei cultu jam olim nobilitatæ. Sic montes ab omni tempore nobiles הררי קדם et גבעות עולם Jacobo Moſique dicuntur. Senſus eſt: portas, humiles antea, certe Jehova non dignas, auguſtiores jam et majores fieri debere.

359. 9. (117) Hoc vero noſtri obſervatum magnopere velim ab interpretibus Pſalmorum teneri; quod qui non faciunt, in triplicem fere incidere errorem ſolent. Sunt, qui ex hiſtoria Pſalmos interpretantes, ita agunt, ac ſi omnia nôſſent, nec quidquam ſub regno Davidis accidiſſet, quod non memoriæ ſit proditum. Id vero in tanta hiſtoricorum ſacrorum brevitate, rerumque geſtarum magnitudine et multitudine, veri eſt diſſimillimum. Plerumque bellorum ne cauſſæ quidem narrantur, ex præliis pauca, eaque majora. Quis quæſo rei bellicæ non imperitiſſimus dubitabit, quin inter exitum Davidis, Hieroſolymam defendere non audentis, illamque atrocem pugnam, quæ rebellionem Abſalomi extinxit, multa interſint, quæ reticentur: caſtra ſapientiſſime capta tuto in loco, iterumque mota, collectus undique veteranus miles, non pauca etiam minora prælia, quibus victor, exercituque jam aucto, rex exſul, in montibus antea hærens, audebat jam aperto Marte confligere? Hoc ipſum ultimum prælium cum cis Jordanem in ſilva Ephræmitica commiſſum ſit, quis non intelligit, aliquid accidiſſe,

[a] *Quæ uncinis incluſa ſunt omittuntur in Edit Goetting.* MDCCLXX.

quod Abſalomum, jam trans Jordanem caſtra habentem, regredi in Palæſtinam proprie ſic dictam cogeret, forte ut regiam urbem tueretur. Aut qui hiſtoriam 2 Sam. viii. 13. cum Pſalmo lx. contulerit, poteritne non intelligere, inter victorias a Syris et Idumæis reportatas infauſta non pauca interceſſiſſe, reſque infeliciter in ipſa Palæſtina geſtas fuiſſe, ut urbs etiam regia in ſummum diſcrimen adducta ſit, Idumæis in vallem ſalis, vix unius diei itinere diſtantem, penetrantibus? Hæc tanta ſi omittuntur, ſi ne Aſſyriorum quidem in libris Samuelis ſatis expreſſa mentio, quibuſcum ſine dubio bellum geſſit David, Pſ. lxxxiii. 9. quid ſperabimus alia minora memoriæ prodita eſſe, quibus in carmine varie ornando maxime uti poetæ ſolent; valde illi diſpliciturı, ſi prœlia tantum, non et ſingulorum fortia facta, deſcriberent magnarumque rerum imagines *parergis* ornarent et perficerent, quibus vix ullus in hiſtoria locus, majora tantum commemorante. Pacis autem miracula, quibus reſpublica ſub Davide floruit, ſolo bello tantos auctus non captura, omnia pene ſubticentur. Sed ut illuc redeam, unde diverti, hi qui non ſuſpicantur, maximam ſe partem hiſtoriæ ignorare, plures quam fas eſt Pſalmos eadem de re explicant, quam forte ex hiſtoria norunt: unde fit, ut languere carmen, ſoliſque abundare verbis, videatur, nulla ſcenæ varietate delectans.

Alii magna utuntur fingendi licentia, quamque ex commentariis antiquorum haurire nequeunt, ſolo ſe ingenio ſupplere poſſe ſperant hiſtoriam: quo in genere non pauca peccâſſe videtur, qui vitam Davidis ſcripſit, *Patricius Delany*. Exemplo ſint, quæ in capite vii. tomi iii. ex Pſalmis xxxviii. et xli. comminiſcitur, Davidem eo tempore, [quo rebellionem coquebat Abſalomus,*] variolis laborâſſe: (ignoto quidem illis temporibus morbo, et ex quo rex grandævus vix ſine miraculo convaleſcere potuiſſet) atque, ne quid fingendi temeritati deſit, ex earum confluxu oculorum uſum per aliquot dies amiſiſſe.

Plerique ad ſententias morales, et ſenſus myſticos confugiunt, aut quæ non intelligunt hiſtorica, vaticinia eſſe jubent: nihil horum facturi, niſi nihil hiſtoriæ ſe ignorare putarent.

Nos quidem ingenue multarum rerum, ut Lowthus facit, fateamur ignorantiam, qua et perſpicuitati Pſalmorum, et vero decori eorum poetico, non parum decedit. Quid utrique præſtet

* *Deeſt in Edit. Gotting.* MDCCLXX.

paulo copioſior hiſtoriæ cognitio, intelliget, ſi quis ea relegere non dedignetur, quæ n. 100. et 107. de Pſalmis xxiii. et xlii: ſcripſimus. Ipſe ille tam male a Delanio habitus Pſalmus xli. quem in tempora rebellionis Abſalomicæ incidere, et v. 10. ſignari Ahitophelum, nemo non dederit Delanio, quam lucet, quam fit ornatior, ſententiiſque quam verbis abundantior, ſi feliciore aliquo conjectu evolvas 2 Sam. xvii. 27—29. Ex nóſtra enim ſententia David Barſillæo, aliiſque bonis civibus, qui ſui egentis et exſulis curam ſuſceperant, totumque ejus aluerant exercitum, fauſta et proſpera quævis a Deo adprecatur, ſimulque de aulicorum perfidia, qui ipſum Abſalomo prodiderant, Ahitopheli ſimiliumque, conqueritur. Pſalmum tertium ſine hiſtoria legens, in verſu 7 et 8 nihil reperiet, niſi locos communes de tutela Dei, fiduciaque in illo collocanda: at idem ſi ex 2 Sam. xvi. 1—23. didicerit, eo ipſo tempore, quo rex cis Jordanem ſecurus dormiebat, graviſſimum ei imminuiſſe periculum, quo perfunctus pene jam evaſiſſe videretur, nec eum deinde habuiſſe, cur infinita millia non militum ſed civium timeret, pravo conſilio lente armanda, quibus in deſertis defuturus commeatus erat: næ ille jam ſe aliquid legere magnum et attentione dignum ſentiet.

Fateor multum nos ſemper in hiſtoria Davidis ignoraturos: ſuſpicor tamen, ex his ipſis, quæ ſuperſunt, monumentis multa paſſim ſparſa et ignorata colligi, uberioremque tanti et viri et regis hiſtoriam conſcribi poſſe: ac, ſi quid de me profiteri licet, nonnunquam conſilium cepi, vitam Davidis ſcribendi. Eas certe res geſſit, ut cum maximis noſtri ſeculi regibus comparari queat: magni, licet non diuturni, imperii fundator, imperator maximus, non miles deterior, auctor præterea diſciplinæ militaris et artis bellicæ, quæ ante ipſum vix ulla in populo Iſraelitico fuerat.

360. 4. (118) Supra profeſſus, in odis Davidicis me non tam ſublimitatem admirari quam ſuavitatem, hanc tamen unam excipio, qua nihil in Pſalmorum libro ſublimius legere memini. Digna hæc oda, de qua in epimetro agam huic Prælectioni attexendo.

364. n. 7. (119) Si placuiſſet, אילות de arborum genere interpretari, tanquam pro אילים poſitum: terebinthos ſcribere debuiſſet non quercus. Vide omnino Celſii Hierobotan. P. 1. pag. 34—37. אַלּוֹן quercus eſt, a qua diverſam arborem eſſe אלה, lecto Hoſeæ loco, c. iv. 13. in dubium vocari non poterit Nullam tamen cauſſam video, cur a punctis recedendum, proque Aijaloth le-

gendum ſit Eloth, idque pro maſculino אילים habendum. Egregie ſententia ex verbis exſiſtit, ſi ita exponas, *luſtra ferarum vaſtat Deus, proſtratiſque ſilvis luctum cervis facit.* Cervæ nominatæ videbuntur, ut mitis atque doloris capax fera, ad noſtram etiam curam et miſerationem pertinens. Sin placeat יחולל primo ſignificatu, ex quo eſt, *tremere,* accipere: non inornatior prodibit ſententia, *altis in ſilvis ipſas intremuiſſe feras.* Hæc enim, quæ hiſtorico philoſophoque minuta ſunt, poeta non indigna ſunt, imaginemque gravis tempeſtatis, minutis etiam *parergis* ornandam, perficiunt. Quamquam nec video, cur Bocharti explicatio admitti nequeat. His[*] ergo ita comparatis, cumque copia potius bonarum explicationum laboretur: quid opus eſt, puncta deſerere, inſuperque generis anomaliam ſancire? Sed fraudi fuit noſtro, quod putabat אילים quercus eſſe, cujus arboris mentio deſcriptioni tempeſtatis inprimis apta.

EPIMETRON

DE PSALMO VICESIMO NONO, ET SEXAGESIMO OCTAVO.

NON omnem Pfalmi xxix. pulchritudinem lectoribus fpectandam præbuiffe, nec æque feliciter ac fervide, ut alia Hebræorum poemata, verfibus eum Latinis expreffiffe Lowthus videtur. Aliam ergo ejus verfionem, illuftratam fubinde atque ubi opus fuerit vindicatam, fubjiciam, foluta tamen oratione, non carmine conceptam: vereor enim, ne Mufis Latinis pœnas debeam intermiffæ per x. aut xx. annos confuetudinis nimifque adamati carminis Germanici, nec tam defipio, ut mea carmina cum Lowthianis comparari, id vero eft, difplicere et faftidiri, velim.

Sit autem animo inter legendum infixum alte et præfens, ubi terrarum, et qua in gente, Dei majeftatem a tonitruum terrore laudet vates: in Palæftina nempe, cui tempeftates ab Occidente aque mari mediterraneo ingruunt, graviffime in juga Libani detonaturæ, indeque Arabiæ deferta petituræ: interque Ifraelitas, quibus fulmen currufque tonans, prorfus ut Græcis, infigne veri fummique Dei, cui hoc telum, hocque folium, ipfi etiam vanorum numinum cultores facrum fuumque relinquebant. (Vide pag.

184. ſeqq.) Eidem tonanti Deo, volucrem currum agenti, ſeptenarium etiam numerum dicari meminerimus: huc enim ſpectat artificium Pſalmi, ſepties illud, קול יהוה (*vox Jehovæ*, ſeu, *tonitru*) repetentis, ut myſtici etiam numeri uſu, omnem tonitruum gloriam terroremque principi Deo conſecret, qui ſeptem diebus cœlum terramque perficiens ſeptimum ſibi diem feſtum eſſe ſtatuit. Cui numero niſi aliquid dediſſet vates, verſus quartus, me quidem judice, abeſſe potuiſſet. Sic ergo poeta:

Date Jehovæ, filii Deorum [a],
Date Jehovæ gloriam honoremque:
Date Jehovæ gloriam nominis ejus,
Adorate Jehovam in ornatu ſancto [b].

[a] Filii Deorum vanorum numinum cultores ſunt, *dicentes ligno, pater meus tu es: lapidique, tu credſti me:* Jerem. ii. 27. Confer ad phraſin, Num. xxi. 29. Malach. ii. 11. Geneſ. vi. 1. (ubi religioſi, a Jehova cognominati, c. iv. 26. *filii Dei* vocantur, irreligioſi contra *filii hominum*) Pſ. xiv. 2. (ubi filii hominis non ſunt omnes in univerſum homines, oppoſiti quippe populo Dei v. 4. oppreſſis ad Deum fugientibus, v. 6. captivis ex populo Dei v. 7. ſed *ſtulti, Deum tacita cogitatione negantes:* v. 1.) Hoſ. ii. 6, 7. Hæc ergo qui numina, nunquam tonatura, venerantur, jam ubi ſummum ubicunque Deum in nubibus præſentiſſimum, ſuiſque imminentem capitibus, exhorreſcunt, gloriam ei et honorem tribuant. Confer Jerem. x. 11—13. Filios autem interpretor, non magnatum, ſed Deorum: partim, quod אלים ſine Jod ſcriptum Deos, cum Jod אילים magnates ſignificare ſolet: partim, quod non adparet, cur nobilium ſolorum mentio fiat in deſcribendo terrore fulminum, cujus major longe laus eſt, quod ad ſummos pariter et imos pertinet. Melius his interpretibus Virgilius:

et mortalia corda
Per gentes humilis ſtravit pavor.

[b] i. e. ejus jam feſtum agi exiſtimate, dum in nubibus præſens adeſt, ſanctaſque ei veſtes ſumite.

Fragor Jehovæ aquis[c] incubat:
Deus gloriofus intonuit,
Jehova (*intonuit*) fuper aquis multis.
Fragor Jehovæ eft fortitudo[d],
Fragor Jehovæ eft corufcus fplendor.
Fragor Jehovæ frangit abietes;
Frangit Jehova abietes Libani,
Illafque ut vitulum faltare docet:
Subfilire docet Libanum Siriumque ut bovem
ferum juvenem[e].
Fragor Jehovæ fpargit[f] flammas igneas.

[c] Tonat eminus in mari mediterraneo, ex quo nimbi Palæftinæ ingruunt.

[d] Solent Arabes prædicato præpofitionem ב præmittere: idemque, quamquam rarius, faciunt Hebræi: cujus conftructionis exempla Schultenfius in Proverbiis Salomonis paffim obfervavit. Plura fi cupias, adde Lev. xvii. 14. Num. xxiv. 7. Jer. xvii. 3. הדר fufpicor, proprie *fplendorem* effe, nec tamen certi quid de etymo habeo. Sententiam puto: *fortiora jam ingruunt tonitruum murmura: fulminibufque terra refplendefcit.*

[e] Qui fint ראמים, poft multas aliorum lites docuit Schultenfius ad Jobum. Sirion nomen barbarum eft fummi Libani jugi, fub quo Jordanes erumpit. Deut. iii. 9. Fragore tonitruum abietes valde tremunt, late fparfas habentes, fed non altas radices: quæ omnia in majus auget poeta. Eft etiam id moris poetice, quod tempeftatem per montes euntem, utpote ubi graviora tonitrua, defcribere amant.

Ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit.

[f] חצב proprie eft, *fpargere, diverberare:* unde et Hebræis de fiffione ligni adhibetur, tanto ictus impetu, ut diffiliat fpargaturque; et Arabibus; حاصب eft, *glaream fpargens ventus*, atque haud fcio an et fulmina, feu potius lapides tonantis Dei fpargens.

Fragore Jehovæ intremuit[g] desertum:
Tremuit Jehovam desertum Kades[h].
Fragore Jehovæ tremuere cervæ[i],
Nudatque silvas[k],
Dum templum ejus universum laudibus resonat.
Jehova consedit ad diluvium[l]:
Sedetque Jehova rex sempiternus[m].

Muhammedes enim, qui alias narrare solet, Sodomis immissos lapides سجّيل, (i. e. lateres in cœlesti officina coctos, ejus signatos nomine, quem divinitus ferient; nostri Donnerkeile dicunt) Sur. liv. 34. narrat, حاصبا, *ventum lapides spargentem* immisisse illis Deum. Nostri loci sensus est, tanta vi nubila quatere Deum, ut dissiliant, erumpentibus fulminibus.

[g] Vide orationem meam *de felicibus connubiis aliarum disciplinarum cum philologia Orientali*, pag. 37. not. * * *

[h] Descriptio pergentis in Arabiam tempestatis. Solent alias Hebræorum poetæ, divitias tanquam laudaturi Dei, commemorare, deserta non minus quam culta ejus imbribus rigari, ut habitari a feris possint. Ps. lxviii. 9. Jes. xliii. 20. Job. v. 10.

[i] Sitne tremere idem quod timere, an, ex vicino partu tremere, ante tempus, terroris magnitudine parere, pro certo non dixerim. Hoc grandius.

[k] Denudare silvas est, late silvis stragem inferre, ut nuda tellus, nullis amplius vestita arboribus supersit. Cervarum tamen cum mentio vixdum facta sit, possis etiam vertere: *abortum facit silvis*, i. e. tanto silvarum incolas terrore perstringit, ut tota pene nemora ante tempus parturiant. Arabibus enim خشف pullus est dorcadis, Hebræis חשיף, unde خشف (חשף) abortum facere.

[l] i. e. horrendos imbres demittit, late in vallibus stagnaturos.

[m] Fulminum terrore hostes arcebit. Meminerimus fabulæ de gigantibus a Jove prostratis, non quod illuc alludere Davidem putem, sed ut sanctam imaginem ex ficta illustremus.

Jehova vires addet populo ſuo,
Incolumique illi benedicet.

His adjungere lubet de Pſalmo lxviii. reliquos Davidicos, ut ſupra n. 118. dixi, ſublimitate vincente, ac Moſaici pæne ingenii, aliqua: totum enim non intelligo, inque his ipſis, quæ poliendo carmini pulcherrimo, et detergendæ tanquam ejus ærugini, adfero, ſunt etiam incertiora. Id manifeſtum, initium Pſalmi, et, minimum, xiv. primos verſus, non de victoriis Davidis agere, ſed de itinere Iſraelitarum per deſertum, rebuſque ſub Moſe et Joſua fortiter geſtis: ut mirum profecto ſit, tot interpretes filum orationis non obſcure nexum ex manibus dimittere, tamque errare graviter potuiſſe. Ad victorias enim Davidis quid Sinai? quid Dei per deſerta iter? omniſque illa latæ legis ſcena?

Etiam hoc liquere arbitror, plura Dei ſanctuaria cani, hocque ad argumentum Pſalmi primarium referendum eſſe. Habemus Sinai montem Deo habitatum, Baſanem illi ſacrum, Hieroſolymitanum collem, reliquis prælatum, magnamque intrantis numinis pompam; forte et v. 17. auguſtius Dei et cœleſte ſanctuarium, terreſtri oppoſitum: quæ univerſa verſu 35. uno *ſanctuariorum Dei* nomine, pluraliter poſito, indicantur. Hæc de argumento Pſalmi præfatus, quæ tanquam per tranſennam vidiſſe mihi videor, non nego, inde a verſu 18. filum orationis ipſi mihi tanquam e manibus dilabi.

Deum ergo, Phœnicas victurum, his alloquitur verbis poeta, quibus Moſes conſueverat, cum caſtra moverentur: Num. x. 35. hortaturque eum ad eas victorias, quas jamdudum ab hoſtibus reportârat.

Nempe eſt poetarum, res præteritas ita canere, ac ſi nunc demum gererentur.

Surgat Deus, diffluant hoſtes ejus,
Fugiantque eo conſpecto inimici.
Ut diſpellitur fumus, diſpellentur [n],
Ut cera liqueſcit igne:
Sic diſpergentur rei [o] coram Deo.
Juſti autem gaudebunt,
Exultabunt coram Deo,
Et impenſe lætabuntur.

Audit jam Deus, adventat: magno regi, ejuſque exercitui paratur via: ipſe ſimul et a molli in miſeros adſectu laudatur, et ab omnipotentia, qua res veri diſſimillimas perficit:

Canite Deo, pſallite ipſi:

[n] Sublimis imago, et valde poetica. Fumus ad æthram ſurgens, terribilis conſpectu, niſi experientia nôſſes, quam ſit inanis. Cœlo minari videtur: at ubi fortior ventus incidit, quam diſſipatur? fugit? evaneſcit? Similes illi gigantes, et quicunque gigantum more cœlum oppugnant.

תנדף non verti, *diſpelles*, qua aſperitate decori carminis aliquid decedere arbitror, ſed paſſive: cum antiquis enim, LXX. Ar. Vulg. Syr. Chald. יִנָּדְפוּ legentibus, malim facere, quam cum lectione Maſoretica.

[o] רשעים non ſunt Hebræis *impii*, ſed injuſti, ſenſu forenſi, juſtis oppoſiti, id eſt, rei, aggreſſores. Vide Exod. ii. 13. Erit alibi locus, hoc ex philologia probandi: hic tantum moneo, hoſtes populi Dei ſiſti, ut qui injuſto Iſraelitas bello laceſſant, nec poſſint non cauſſa cadere. Inſignis verbi רשע uſus in re bellica, ubi reus dicitur,

Quem damnat labor, et quo vergit pondere lethum.

Vide 1 Sam. xiv. 47. Juſti, de quibus ſequens verſus agit, Iſraelitæ ſunt, juſtum et pium bellum Phœnicibus illaturi.

Viam parate invecto per deserta
Cujus [p] nomen recreat, ergo exsultate coram eo.
Pater est orphanorum, vindex viduarum
Deus, in sanctuario suo [q]:
Deus improles habitare jubens domum [r],

[p] Sic explico ביה שמו, puncta addens בְּיָהּ שְׁמוֹ. Verbum ביה in Syriasmo superest, sub ܒܝܐ *solari*, quo in verbo cum Olaph non quiescens sit sed gutturale, habeaturque ad modum tertiæ radicalis, He Mappikati, Hebræorum, (vide patris mei Syriasmum pag. 46.) sequitur, ut non cum Hebraico ביא vel בִּיא, sed cum בִּיָּה conferendum sit. Ratio, a recepta versione, *Ja est nomen ejus*, dissentiendi, hæc mihi est, quod ex illa ב præter morem redundat, tam quidem insolenter, ut *Cappellus* et *Houbigantius* maluerint lectionem consonantium proscripta litera ב mutare, quod equidem facere non audeo, cum Symmachus, quintus interpres Græcus, et Hieronymus, sine dubio ב legerint. Nec potest constructio excusari Arabismi prætextu, qui Beth suum essentiæ prædicato præponit, e. g. محمد بمومن. *Muhammedes est in credente*, pro, *est credens*: ad hunc enim modum scribi debuisset, יה בשמו, *Ja est in nomine ejus*. Habemus alium locum, nostro simillimum, in quo itidem ביה nullo sensu ponitur, eadem medicina sanandum: Jes. xxvi. 4. Nulla enim hæc nec Hebraica constructio, nec Arabica: *in Ja Jehova est petra æterna*, pro *Ja Jehova est petra æterna*. At fluet oratio, si בְּיָהּ יהוה צור עולמים vertas: *Solatur nos Jehova, petra æterna.*

Nostri quidem versus hæc erit sententia: *ipso hoc dulci Deo nomine recreamur*, et *erigimur, patris orphanorum*. Sic est in Somnio Scipionis, c. 1. *conspicio in meo regno, et his tectis, P. Cornelium Scipionem, cujus ego nomine ipso recreor.*

Disco ex Abenesra, fuisse non paucos, quibus Beth radicale visum fuerit: mecumne consenserint ignoro, nec vero in poemate ornando opus duco, horum scrinia compilare.

[q] i. e. benignum hoc miseris et humilibus numen in sanctuario suo Deum se gerit, Dei majestatem induit.

[r] Confer 1 Sam. ii. 5. Jes. xlix. 19, 20. liv. 2, 3. et maxime

Et vinctos educens in abundantiam [s],
Dum oppressores nudas habitant petras [t].

Iter jam ipsum per Arabiam describitur, Sinai, fulminum jactu, forte et terræ motu, intremiscens, cœlumque horrore tanti numinis, nimbis vecti, in imbres solutum, deserta his recreata et virescentia. Hæc vero, hæc imago est, in qua multo lætius nostris poetis Orientales luxuriantur: quod cur faciant, natura illos monente, in nota 22. exposui. Ipsæ illis feræ hoc beneficio lætari videntur, quæ, cum antea magno cum rugitu notos fontes requisivissent, in patrio jam solo sitim restinguunt: quam imaginem perfectius intelligent, qui ex itinerum commentariis meminerunt, quanti ad fontes concursus esse ferarum soleant, quanti per noctem ululatus. Lege Jes. xliii. 19, 20. ubi eadem scena informatur, nec de nostri Psalmi sen-

Ps. cxiii. 9. Est hic ex locis communibus Hebræorum, sobolis cupidorum, quam improli tanto dare numero dicitur, ut totam domum, augustam futuram, habitet, in qua antea solus erraverat.

[s] Sic verto ex Arabico كثر *multus fuit*. Solum habeo consentientem Syrum, sed qui et pro argumento est, quod nomine ab eadem stirpe orto uti potuit, ac reponere ܒܟܘܫܪܐ *felicitatem*.

[t] סוררים proprie sunt *malefici*, i. e. injuriis alios adficientes, collato Arabico شرّ *maleficus, injurius fuit*. Oppositi hic vinctis erunt eorum oppressores. Amant has oppositiones in carminibus Hebræi, quarum plenum est canticum Hannæ, 1 Sam. ii. צחיחה *nudam* interpretor *petram*, duce Aquila, cui est λεωπετρία, qua de voce vide Suidam. Nec Aquilæ crederem, nisi consentiret Arabia, cui صخّة est *sonus lapidis petræ illisi*. Ejusmodi petra, cujus summa est sterilitas, recte opponitur ubertati et abundantiæ, hostibusque, qui miseros Israelitas oppresserant, relinquitur.

tentia dubitabis, niſi deſtinatum ſit, myſticis ſenſibus paſci. Sic ergo poeta :

> Cum exires, Deus, ante populum tuum,
> Cum gradereris per deſerta,
> Terra tremuit[u], cœlum ſtillavit,
> Hic quoque Sinai, præſente Deo,
> Præſente Deo Iſraelis.
> Largum, Deus, fundebas imbrem,
> Tuum peculium[x] et morientia ſiti rigabas[y];
> Animalia ſacra[z] habitant in eo,
> Miſeroque illud benigne rigas.

Pergit vates ad victos, Moſe et Joſua ducibus, hoſtes,

[u] At vero primi ſub lumina ſolis, et ortus,
Sub pedibus mugire ſolum, et juga cœpta moveri
Silvarum . . . . . .
Adventante Dea.

Virgil. Æn. vi. 255.

[x] Montem intelligit et deſertum Sinaiticum, quæ terra ſancta Exod. iii. 5. a Deo dicitur, atque hic in ſanctuariis Dei locum habet.

[y] Proprie eſt, *complanas*. Complanari autem terras dicunt Hebræorum poetæ, cum largo imbre ſolutæ ac tanquam liqueſcentes, æquantur. Vide Pſ. lxv. 9, 10.

[z] *Animalia tua*, i. e. animalia tibi ſacra. Quæ in loco ſancto ſunt, ipſa ſacra et ſub tutela numinis eſſe putantur animalia: unde et locus difficilior, Pſ. lxxxiv. 3. explicandus, comparans Davidem hirundini, tutum ad Dei altare nidum invenienti. Apud Herodotum, lib. i. cap. 159. Ariſtodico, nidulantes in templi muris aves rapienti, vox reddita : ἀνοσιώτατε ἀνθρώπων, τί τάδε τολμᾷς ποιεῖν; τοὺς ἱκέτας μου ἐκ τοῦ νηοῦ κεραΐζεις; *mortalium peſſime quid audes? meoſne etiam ex templo ſupplices rapis?* Arabibus in more, animalia in terra ſancta, quam putant, non violare, nec venari. Hujuſmodi morem ſequutus poeta, animalia etiam deſerti Sinaitici, Deo conſecrat, ejuſque ἱκέτας facit.

Amalecitas, Ogum, Sihonem, Midianitas, Phœnices: nec victorias narrat, quod hiſtorici eſt, aut mediocris poetæ, ſed lætos videt undique adventantes nuntios, virginum tripudiantium choros, reges interim cum exercitibus longe lateque fuga campum ſignantes, horum ſpoliis molles virgines, ſponſas, matres-familias, ditatas, Baſanitidem in poteſtatem redactam, Deoque ſacram. Vereri cum Moſe incipit, ne tribus trans Jordanem portionem optantes, reſidere hic malint, quam bellum gerere, Num. xxxii. 5—15. quas adjurans, ne paſtorali indulgeant otio, novarum victoriarum, rerumque majorum ſpe ſolicitat:

Jehova dat lætum nuntium:
Virginum nuntiantium [a] ingens chorus.
Reges cum exercitibus [b] fugiunt, fugiunt,
Et habitatrix ædium [c] partitur ſpolia.
Nolite cubare inter canales [d],

[a] *Evangelizantes* feminino genere, non ſunt curſores victoriam renuntiantes, ſed tripudiantes, lætoque carmine ac ruſtico acclamantes aliæ aliis, hoſtes victos eſſe. Confer 1 Sam. xviii. 6, 7. 2 Sam. i. 20. Jeſ. xl. 9. ex quo loco intelligitur, virginum choros ex urbibus collectos montes etiam conſcendiſſe, victoriamque vicinis, fere ut in Gallia factitatum Cæſar narrat, acclamâſſe.

[b] Ad literam, *reges exercituum*. Sed quia hoc Latinis omnibus barbarum quid ſonat, circumſcripſi, ne elegantiæ officeret.

[c] Ex adjectivis eſt poeticis, quibus poetæ pro ſubſtantivis utuntur. Summa laus feminarum in Oriente, gynæconitide contineri.

[d] Laboratur obſcuritate rarioris vocabuli, quod præter hunc locum non legitur, niſi Ezech. xl. 43. Habemus tamen cognatum משפתים, Gen. xlix. 14. Jud. v. 16. quod ejuſdem cum noſtro ſignificationis eſſe, ex conſtructionis reliquæque orationis ſimilitudine intelligitur: jam enim dicuntur aliqui *recumbere*, (רבץ, ubi de brutis, שכב ubi de hominibus ſermo eſt) jam, *ſedere*

inter שפתים vel משפתים. Nec tria hæc loca, Genef. xlix. 14. Jud. v. 16. Pf. lxviii. 13. expendenti dubium effe poteft, quin hæc feffio mollioris otii fit: quare quæ alii de rogis, de tripodibus habent, aut de fterquiliniis, alii de duplici farcina, onere afini iniquo, repudianda. Ifafchar quidem in capite 49 Genefis non ut afinus nimium oneratus defcribitur, fed ut molliter et quiete, fed ut pigre cubans, fuoque otio et terræ ubertate fruens: nec qui fub injuftis farcinis fuccumbit, federe inter illas ad balatus gregis audiendos dici poteft.

Verum hoc non tempus eft, aliorum cogitata expendendi, fed promendi aliquid, quo et perfpicuitati confulatur et decori poematis. In Ezechiele quidem LXX. שפתים verterunt, γεῖσος λελαξευμένον ἔσωθεν, *tecti prominentiam, qua ftillicidia excipiuntur, intus excavatam*, id vero eft, *canales, ftillicidiis deferendis tecto junctos:* eftque ea fignificatio loco Ezechielis in primis apta. Forte eodem redit, quod Aquila habet, ἐπιστάσεις. Sed auctoritatibus non pugno, licet illas in quæftione philologica non negligam, ne nova veteribufque omnibus incognita fignificatio fufpecta habeatur. Omnes autem ut auctoritates repudiem, non novi fignificationem aliam, præter hanc, *canalium*, quatuor locis in quibus שפתים et משפתים occurrit, aptam: quidquid enim confinxerunt interpretes, uni loco commode fedet, non omnibus. Nec deftituet nos philologia Orientalis: canales enim, proprie illi, ad quos oves adaquantur, deinde et alii illis fimiles, ftillicidia excepturi, dicti a سفت bibit. Quid jam defiderabimus in hoc Jacobi carmine:

Ifafchar fimilis afino forti offibus,
Cubanti inter canales.
Vidit quietem, quam fit dulcis,
Terramque, quam fit fertilis:
Extendit humerum ad bajulandum,
Factufque eft fervus tributarius.

aut in Deboræ cantico, fegnes ad bellum, nimiaque mollitie et affluentia defides, objurgantis, Jud. v. 16.

Quid fedes inter canales,
Ad balatus audiendos gregum?

Defcriptio otii paftoralis, qualis illa in Eclog. i. Virgiliana:

Fortunate ſenex, hic inter flumina nota,
Et fontes ſacros, frigus captabis opacum.
Hinc tibi. quæ ſemper, vicino ab limine ſepes,
Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti,
Sæpe levi ſomnum ſuadebit inire ſuſurro,
Hinc alta ſub rupe canet frondator ad auras,
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo.

Video dualem numerum opponi mihi poſſe, qui nihil ad canales. Ut autem taceam, formam dualem incertam, et ex ſolis punctis ſuſpenſam eſſe, ac facile fuiſſe punctorum auctoribus et interpretibus nonnullis antiquis hic errare, quod conſueſſent iiſdem literis ſcriptum nomen שְׂפָתַיִם (*labia*) dualiter efferre; hæc ut taceam, canales, ab utroque latere duplex bibentium ovium agmen admittentes, non inconcinne reor dualiter שְׁפַתַּיִם dici potuiſſe.

Ad noſtrum jam verſum veniamus, in quo eadem paſtoralis otii imago. Particula אִם, *ſi*, quæ hic ut conditionis index accipi nequit, a pleriſque pro *temporis* particula habetur, ſed ſine exemplo: nuſpiam enim אִם Hebræis eſt, *quando*, i. e. non de tempore, ſed de conditione ponitur. At longe frequentiſſima, vetandi tanquam per adjurationem formula, ellipſi aliqua ſupplenda: *ita vos feriat Deus*, si *hoc vel illud feceritis*. Hoc ergo ſenſu verto: *tantis rebus geſtis, poſtquam tantas vobis Deus largitus eſt victorias, ſi inter greges deſides remanebitis, balatuſque audiatis ovium!* Alloqui his verbis poeta videtur tres tribus, trans Jordanem ſedes optantes vitæ paſtoritiæ aptas, quas ipſe Moſes bellum detrectare ſuſpicabatur, non ita duriter cum illis acturus, ſi nulla fuiſſet ſuſpicionis cauſſa.

Hæc poſtquam et ſcripſi, et in collegio critico expoſui, moneor ab auditore inſigniore, Starkio, Meklenburgico, eadem ſignificatione שפתים etiam occurrere in notis Rabbinorum ad tractatum Peah. Edicitur nempe in capite ſecundo libri פאה, i. e. libri qui agit de angulo agri pauperibus relinquendo: hæc agrum ab agro diſtinguere, primo נחל *fluvium*, qui inter utrumque agrum fluit: deinde השלולית canalem aquæ. Hoc quidem poſterius vocabulum, cujus ſignificatio ſatis certa eſt optimis Miſnæ interpretibus, ita explicat *Ex Hacbaim* השפתים והולכים אליהם הרועים לשקות

Sub alis columbrarum argento obductarum,
Pennisque earum, auro flavis [e].

A versu 15. quæ sequuntur, sunt mihi, fateor, perobscura: ac forte non sola hic linguæ et historiæ inscitia, sed magno etiam laboramus lectionis vitio, verbis non paucis omissis, quæ restituere inverecundum atque intutum, sine quibus tamen transitus ad rem novam a vate tractatam rite fieri nequit. Hactenus enim Sinai montem Deo sacrum, castra Israelitarum mota, primasque de Phœnicibus victorias habuimus: at versus 16. sine dubio jam loquitur, seu potius loqui pergit de Sione; quem enim alium montem intelligas, quando David, Sioniticæ areæ dedicator, *hunc*, inquit, *montem habitare cupit Deus, habitabitque æternum* [f]. Huic monti, æternum dilecto, invidere alios montes poeta fingit, altiores et nobiliores, ipsosque etiam sub potestatem veri Dei redactos: sed nec nomen ejus apparet uspiam, nec ullus a victo ante tot secula Sichone et Ogo transitus ad Sionis dedicationem. Sed forte hæc, quæ desideramus, latent in versu 15. uno omnium obscurissimo, quem jam de apostolis per totum terrarum orbem dimissis, jam de regum inimico-

הרצין: *sunt Sphattaim, ad quæ eunt pastores, oves adaquaturi.* Quo observato non parum confirmari meam explicationem gratus agnosco.

[e] Est aut asyndeton, aut omissio particulæ בין *inter*, ante *alas columbarum*. In voluptatibus otii pastoralis locum non ultimum habent columbæ, quæ et in ecloga Virgilii supra citata commemorantur. De earum colore, argenti et auri splendorem repercusso sole imitante, post Bochartum non opus est dicere: quamquam hoc sui quemque oculi, etiam non inspecto Bocharti Hierozoico, docebunt.

[f] Conf. Ps. cxxxii. 14.

rum clade, explicant recentiores, antiquis interpretibus, Græcis et Syro, non hic æquiparandi. Has enim ad res quid Salmonis aut alius montis nives, niſi myſtice eas, nullo exemplo uſus Orientalis, ſola conjectura, ut faciunt, explices? Audi quæſo ſententiam: *Deus reges fugavit, ninxitque in Salmone:* hac non meliorem: *Petrus ad Pultavam vicit, pluitque in montibus Riphæis.* Quid porro Salmon? qui ſi mons eſt non procul Sichemo, mediocris magnitudine, fama ignobilis, et vix ſemel, idque obiter, Jud. ix. 48. nominatus, quid quæſo facit ad argumentum noſtri carminis? Ac ne liquet quidem, quo referendum ſit בָּהּ, *cum diſſipabit*, vel, *cum conſtituet Deus reges in* EA; ad hæreditatem enim v. 10. commemoratam referre et nimis longum, et erat illa hæreditas deſertum Sinaiticum, nec conſtitutis nec profligatis regibus nobilitatum: quod autem alii pronomen ad rem referunt nuſpiam nominatam, quam pro lubitu ipſi ſupplent, id et intutum eſt, et ab omni meditati carminis conſuetudine abhorret.

Quid ergo? ſi audeamus, nullo quidem auctore, pro צלמון illud ipſum, quod verſum inter 14 et 17. deſiderabamus, legere Sionis nomen, ציון? Pleraque ita fient expeditiora. פרש מלכים erit, præeuntibus Syro et Alexandrinis, reges deſignare: cui verſioni non parum inde accedit commendationis, quod potuit Syrus hanc exprimens ſententiam retinere Hebraicum verbum iiſdem literis ſcriptum: ܟܕ ܦܪܫ ܐܠܗܐ ܡܠܟܐ ܒܗ *cum Deus conſtitueret in ea reges*; eſt enim Syris ܦܪܫ primo quidem *diſtinguere, ſegregare*, deinde et, *ſegregare ad munus, muneri præficere*, quo ſenſu ſæpiſſime occurrit. *In* EA jam pertinebit ad Sio-

nem, cujus nomen ſequitur, eritque emphatice pronomen ante nomen, indicans, Sionis imaginem, ceu notam et quotidianam, animo poetæ inerrare. Nivis autem mentio, ſub æſtuante illo cœlo gratæ[g], ad refrigerium et lætitiam pertinebit; ut Arabibus ثلج eſt, *lætari*, et اثلج *exhilarare*, ſeu tanquam *nive aliquem recreare*. Forte ergo ita cecinit, ita voluit intelligi vates:

> Altiſſimo reges in ea conſtituente
> Voluptate perfundebatur Sion,
> Mons Dei eſt Baſanitis,
> Mons nivalis[h] eſt Baſanitis:

[g] Vide locum Jobi, quem p. 89. deſcripſi.

[h] تجبّن (התגבן) eſt, *concreſcere*, quod et LXX. in interpretando ſpectârunt. Eſt autem *mons concretus*, ita ſublimis, ut nivibus ſemper et glacie rigeat, qualis Virgilio Atlas Æn. iv. 248.

> aſſidue cui nubibus atris
> Piniferum caput et ventis quaſſatur et imbre.
> Nix humeros infuſa tegit, tum flumina mento
> Præcipitant ſenis et glacie riget horrida barba.

Nivalem uno nomine Latini dicunt. Ejuſmodi vere eſt faſtigium Baſanitidis, Jordanem fundens, tantoſque inter æſtus, mirum dictu, nivibus fidum. Neque illi Libani Baſaniſque faſtigio ſuæ defuerunt religiones. Hic ergo mons Deo dignus videri poterat, et tanquam invidere humili Sioni novum honorem. Hoc deinde dicitur רצד, quod Arabiæ perquam uſitatum, eſt obliquis oculis et inſidioſis obſervare, quod ipſum eſt invidiæ. Vide Act. xxiii. 21. ex editione Erpenii. Nec tamen hic mihi diſſimulandum, copia me bonarum interpretationum fieri incertiorem. LXX. intellexiſſe videntur montem craſſo lacte et paſcuorum ubertate abundantem. Talis omnino Baſan, inde et בשן tanquam pulcher vel pinguis dictus Hebræis a بسن, et Chaldæis מתנן, quaſi tu diceres *humidum* et *irriguum*: poteratque talis mons opponi

Quid invidetis, montes nivales,
Monti, quem habitare Deus cupit?
Jehova vero eum æternum incolet[i]!

Jam vero caligare mihi oculos ſentio: ſuſpicor equidem, aſcenſum in ſublimius et cœleſte ſacrarium deſcribi; ſed nihil ſatis explorati habeo, nihil quod mihi ipſi ſatisfaciat. Et vero timere incipio, ne juſto loquacior viſus ſim lectoribus, inque me convertant, quod in præfatione Tomi i. p. ii. de grammaticis ſcripſi. Quamquam ſuppetit excuſatio: unum enim nobiliſſimum Davidis carmen, dignum quod pro exemplo legatur, non lucebit, niſi et intelligatur.

ſitienti et arido Sioni. Aut, de quo nemo cogitavit, poteſt eſſe mons inſidioſe propendentibus palpebris alios obſervans, Chaldæis enim גבינין *palpebræ*. Vide Jonathanem et Thargum Hieroſ. Levit. xxi. 20. Sæpe ejuſmodi nube involvuntur Hebraica *ἁπαξ λεγόμενα*, quando linguæ cognatæ non id ipſum nomen habent, ſed modo etymon quærentibus miniſtrant, in plures partes ductile.

[i] Compara Virg. Æneid. i. 15—18.

---

373. n. 10. (120) A טיט vix video, quomodo ſecundum leges grammaticas fieri poſſit quadriliterum טאטא. Nec opus incerta derivatione, habet enim Arabia ipſum hoc verbum طأطأ *effodere altius foſſam*, et nomen, طأطاء *foſſa*. Senſus eſt idem, quem recte eximio carmine Lowthus expreſſit.

388. 5. (121) Sobrie ac verecunde noſter, id eſt, pro more ſuo, locum difficilem attigit, in quo immoderatius verſantes multa peccârunt. Certum eſt, aliquos ex Pſalmis dramaticos eſſe, quod animadvertentes aliqui, ſuoque εὑρήματι impenſius lætati, eo traxerunt, ut, ubicunque ſenſus eſſet impeditior, aut nova explicatio, forte magis theologica, valde placeret, ſtatim ad mutationem confugerent perſonæ loquentis, licet nullum eſſet in Pſalmo mutatæ perſonæ indicium. Sic, ut exemplo utar, fuerunt, quibus prior pars Pſalmi cii. uſque ad illa v. 24. verba: *ne tolle me in dimidio dierum!* oratio Chriſti viderentur, reliqua inde a verbis ejuſdem verſus, *in ſeculum ſeculorum ſunt anni tui*, Dei patris reſponſio: nempe ut conſulerent citationi Paulinæ Hebr. i. 10. cujus mentem et finem non ſatis intellexerant. Hæc tanquam dramaticorum interpretum caſtra quis ducat, obſcurum eſſe nemini poteſt, qui recentiores Pſalmorum interpretationes verſavit. Talia autem qui ſibi indulget, næ ille facile quidvis ex quovis Pſalmo extundet, difficillimiſque locis, atque etiam corruptis, ſine multo philologiæ apparatu, ſine criticæ artis ope, facile ſenſum aliquem dabit, in quo præter veritatem haud temere quidquam deſideres: quo ipſo fit, ut hæc exegeſis ſecta non paucis placeat, doctuſque anteſignanus, Salomo Tillius, multos nactus ſit ſed indoctos aſſeclas.

Recte noſter latere aliqua dramata ſuſpicatur, forte non pauca: et tamen odæ non pro dramate habenda, niſi aliquo conſtet claro indicio, diverſas perſonas loqui, neque ad hoc εὕρημα tanquam ad tutum ignorantiæ receptaculum confugiendum. Ut enim forte ſunt dramata, quæ non agnoſcimus, ita et pro dramate habentur, quæ ad unam ac ſimplicem orationem revocari poſſunt, ſi philologiæ facem præferente obſcuriora explices, aut lectionem temporis injuria depravatam ope antiquorum monumentorum et criticæ artis reſtituas. Quo autem enixius petere ab interpretibus poſſim,

ut in dramate conſtituendo cauti ſint, unico in exemplo demonſtrabo, quam facile erretur, et alia, mihi etiam veriſimilia viſa, quam tamen ſint incerta.

Et quo potius exemplo utar, quam Pſalmo ſecundo, qui primus inter dramaticos habetur, ac de quo forte nemo jam dubitat, quin ſit totus dramaticus. Pleroſque ſi audias, loquitur 1) v. 1, 2. vates ſacer, 2) v. 3. reges rebelles, 3) v. 4, 5. iterum vates ſacer, 4) v. 6. Deus, 5) v. 7, 8, 9. rex unctus, 6) v. 10, 11, 12. vates ſacer. Mirum, quod non viderunt, reges rebelles v. 3. non ut in dramate loqui, ſed eorum verba a vate referri, idque, pro more Orientalium, ſine ſigno dicti. Nihil Arabiæ frequentius, quam narrare, quid quis fecerit ſenſeritque, ac ſtatim ejus et verba ſine novo præfamine, *dicens*, vel, *et dixit*, narrationi attexere. Ergo jam ad majorem redibunt paucitatem vices perſonarum, loqueturque I) v. 1—5. vates II) v. 6. Deus III) v. 7, 8, 9. rex unctus IV) v. 10, 11, 12. denuo vates, eo modo ut in carmine Germanico, quod in fine libri legitur, Pſalmum expreſſi. Ac ne certum quidem eſt, Deum v. 6. dramatice loqui: quid enim, ſi et Dei verba vates referat, qui verſu ſuperiore dixerat: *loquetur ad eos in ira ſua?* Ac vero hic ipſe Pſalmus, totus e dramatum numero eximendus, ſi lectio verſus ſexti, ab Alexandrinis expreſſa, verior ſit Maſorethica. Legebant enim illi: *atqui ego* נָסַכְתִּי מַלְכּוֹ *rex ejus unctus ſum* (i. e. rex unctus ſum ab eo) *in Sione monte ſancto ejus* קָדְשׁוֹ, qua lectione admiſſa ſolus per integrum Pſalmum Meſſias loquitur, jam mirans regum veſaniam ſatis obnitentium, jam Dei verba referens, jam et hortans reges, ut ſapere diſcant. Nec obſtabit, quod Pſalmus aliquoties Meſſiæ in tertia perſona mentionem facit: quid enim grandiori Hebræorum ſtilo frequentius, quam ut quis de ſe in tertia perſona loquatur. Neque hæc ita diſputo, ut Alexandrinam lectionem præferam receptæ, plures me arbitro habenti numeros veritatis; ſed ut uno in exemplo ponam, quam multa ſint in hoc genere dramatico incerta, de quibus fortaſſis nemo dubitavit.

(122) Melius forte, *inebriatus ſum illis*, i. e. ſanguine eorum 390. 10*
ebrius factus ſum. Frequens Orientalibus fictio, hic etiam ornatior, quod qui vinum calcant, ſolent ebrietatem contrahere.

(123) Communemne licet omnium interpretum labefactare 393. 5
ſententiam, adeo pervulgatam, ut Canticum Canticorum legentes

* "*Et in æſtu meo ebrios et attonitos reddidi.*" *Edit. Goetting.* MDCCLXX.

vix alio quam ſponſi ſponſæque nomine amicum et amicam indigitent? Et tamen a me impetrare nequeo, ut nuptiarum dies cani credam. Rationes diſſentiendi hæ fere ſunt. Primo quod nulla ſit in toto carmine, tam longo, rituum nuptialium vel tenuiſſima mentio. Solus canitur amor, nihil præterea: non velatio ſponſæ, non virginitatis jactura, non epulæ ſolemnes. Deinde quis ſuſpicetur, ſponſum labori tam fuiſſe adfixum, ut ipſa nuptiarum hebdomade aliquoties et novam nuptam et convivas deſereret per integros dies, gregis paſcendi cauſſa? quis ne hoc quidem ei feriarum tempus fuiſſe credat? noctu illum non rediiſſe, ſed ſolam in lecto reliquiſſe, quam tantopere adamabat. Hæc ſi quis ſponſus faciat, certe non ſunt carminis amatorii materia. Sponſam eodem tempore vineam cuſtodire debuiſſe, ob quam neglectam fratres ei ſuccenſuerint, tam eſt a feſtivitate nuptiali abhorrens, ut, niſi quis ex antiquitate nos doceat, joci cauſſa ejuſmodi labores nuptiarum diebus ſponſum ſponſamque perferre debuiſſe, veri ſit diſſimillimum, nuptias hic deſcribi.

Si quis de ſponſo ſponſaque ante nuptias cogitare audeat, magis etiam repudiandus erit. Ea eſt amantium conſuetudo, eæ voces, eæ deſcriptiones totius corporis, eæ denique ſuſpiciones rerum, quas taceo, carmini callide intextæ, quibus nihil indecentius, magiſque a moribus Orientis abhorrens cogitari poſſet. Ne licet quidem ibi ſponſo videre ſponſam, nuptam et velo tectam, niſi poſtquam virgo eſſe deſiit. Ejus ante nuptias delibari virginitatem, ne apud nos quidem eſſet carminis amatorii argumentum, multo minus in Oriente, ubi talia nemo audebit, niſi aut ad ſcelera projectiſſimus, aut contemnens ſponſam, eique pæne inimicus, cujus honori tam male conſulit. Amiſſæ enim virginitatis dedecus, quod in Oriente putatur maximum, morte etiam, ſi ſponſus neget ſe eripuiſſe, expiandum, prima ſtatim ſe nocte prodit convivis omnibus, exſpectantibus, donec linteum virginali ſanguine conſperſum adferatur. Cujus moris antiquitatem ſummam colligere licet ex lege Moſaica, Deuter. xxii. 13—21: niſi enim illud linteum ſigno aliquo notatum a teſtibus fuiſſet, facile erat parentibus impudiciſſimæ filiæ, linteum aliquod ſanguine conſperſum in judicium deferre.

Nec vero hæc ita dico, ac ſi furtivos cani amores putem. Obſtat, ut alia taceam, quod [illegible] amantium non clandeſtini ſunt, ſed amicis et virginibus Hieroſolymæ noti: deinde quod c. viii. 5. ipſa mater ſub arbore aliqua fœdere junxiſſe filiam dicitur. Sic enim illa verba explico: *ſub malo inveni te; ibi te fœdere*

junxit genitrix tua, collato Arabico حَبَلَ *fœdere constringere*. Fingit amicus in carmine, quod totum pastorale est, sub arbore aliqua precibus suis annuisse matrem, filiamque sibi volentem promisisse. Quod enim alii habent, *ibi enixa te est mater tua*, et nihil ad rem facit amatoriam, et subturpiusculum, indecorum certe et plebeium, nec denique veri simile est, cum raro accidat gravidis, ut sub dio parere necesse habeant.

Restat, ut meam profitear sententiam, castos conjugum amores cani, non sponsi et sponsæ. Illa vero primum pene ridicula videbitur lectoribus, carminis amatorii aliquem gustum et peritiam habentibus: quod apud nos pene inauditum, conjugum amores carmine cani. Sed sciant velim, quid nostra inter et Orientalia conjugia intersit. Nostrorum conjugiorum, modo votis amantium respondeant, æquabilis est, nullo casu interrupta, ratio: difficultatibus et tanquam nodis carens, quorum solutionem exspectes; nihil earum artium, quas Galli *Intrigues d'amour* vocant; nihil novitatis: sine quibus rebus carmen amatorium languet. Quotidiana conjugum consuetudo efficit, ut eorum ignes sinceri sint, sed leniores, quam ut poetæ sufficiant. At alia omnia in Oriente propter polygamiam. Multi in tali conjugio nodi et difficultates, multi casus, lites, suspiciones, metus, artes, victoriæ. Insidiarum gynæceum majus plenum, quibus dilectissimæ conjugis honos quæritur eripiturque: osculum, noctem etiam alteri præripere, ponitur in victoriis. (Genes. xxx. 14, 15, 16.) Nec vehementiæ et novitati amoris quotidiana officit consuetudo. Hinc fit, ut castus conjugum amor carminis amatorii materia esse potuerit. Quæ mea sententia si vera est, magis etiam a nostrorum poetarum more aberit Canticum Canticorum, totum, quantum quantum est, Asiatici tanquam coloris et sanguinis.

(124) Præter ea, quæ vixdum commemoravi, et hoc obstat 193. 22.
Bossueti conjecturæ, quod epulo nuptiali per vii. dies duraturo tempus nullum in hac scena relinquitur. Aut discesserunt a se conjuges, absentesque se requirunt, aut exoptata fruuntur solitudine; et si quando cum amicis virginibusque colloquuntur, in platea id faciunt, in agro, ac sub dio; nuspiam cum convivis. Multum laborabit, si quis vel unico convivio locum et tempus quærat, nec inveniet, ubi illud scenæ, præter discessus somnosque amantium nihil vacui habenti, apte intexat.

(125) Hoc si ita est, mirum, primæ noctis nulla cani gaudia, 193. 16.

non pompam comitantium: nuſpiam adclamationes, cantica, bona verba, audiri convivarum, ereptam virginitatem, cujus ad eos indicium deferri ſolet, more Orientali gratulantium. Omiſſum in carmine, quod primas in illo et præcipuas facere partes debuiſſet.

394. 1. (126) Et hoc mirum, ſi convivium feſtivitaſque nuptialis per vii. dies durabant.

394. n. 4. (127) Hic vero, hic locus eſt, unum certe diem ex hebdomade Boſſueti demendi, quem ille, conjecturæ ſuæ ſtudioſus, qualibuſcunque indiciis invenerat. Quod ita faciam, ut ſimul elegantiſſimam Cantici ſcenam c. ii. 4—9. quantum poſſum, illuſtrare, atque a pulchritudine et venuſtate ſua commendare lectoribus ſtudeam. In cellam vinariam, pomis quoque refertam, (antrum credo aliquod frigidius, quales cellæ paſtorem decent) amicus amicam introduxerat. Id ipſa narrat: quidquid enim accidit, nunquam ſuis verbis exponit poeta, licet deſit, cui id narretur, aut res ita comparata ſit, ut feminæ eam narraturæ non videantur; in quo ipſo eſt aliquid a noſtri poematis more ſejunctum, nec dum diuturnitate artis ſatis expolitum, quod et in comœdiis reprehendere ſolemus. Sed eſt ſua artibus infantia, ex qua aliqua vitia diutius ſuperſunt, ne pro vitiis quidem habita, modo conſuetudine optimorum exemplorum excuſentur.

> Introduxit me in cellam vinariam,
> Et vexillum ejus contra me eſt amor.

i. e. *oppugnat me ſub vexillo amoris.* Nempe et bella canuntur amantium, obſeſſæque urbi comparatur amica expugnanda: in quo bello non nullæ et vini partes, non ad ebrietatem (hoc enim cantatu indecorum,) ſed ad hilaritatem ſumti. Verſu ſequente victam ſe fatebitur, in herbis pomorumque cumulo prolapſam ac recubantem, amici inter brachia, capiti ſubjecta corporique toti circumvoluta:

> Fulcite me virentibus herbis,
> Subſternite mihi poma:
> Saucia enim ſum amore.
> Siniſtra ejus ſub capite meo,
> Et dextera me amplexatur.

رفد Arabibus eſt, *fulcire.* [illegible] nolui *lagenas* interpretari, quibus jacens nec commode nec [illegible] fulciatur: abeſſe enim a car-

mine amatorio debent nimis plebeia et humilia. Sciendum autem, pro Schin Hebræorum Arabes jam س reponere, jam ث, illo diſcrimine, quod in grammatica Arabica p. 11. indicavi: hic ergo in mentem mihi venit أثّ *luxuriavit herba,* unde أثيث, formam eandem cum noſtro nomine habens, *luxuriantior herba*. Hæc victæ et procumbenti pro thoro. Non multum a me diffident Aquila et Vulgatus interpretes, quorum hic *flores*, ille *labruſcas* vertit.

Quid porro contigerit, interſitque inter lapſum amicæ et ſomnum, facile exiſtimatu eſt; igitur verecunde a poeta ſubticetur. Diſplicent amores, nimis oculis tanquam ipſis expoſiti: mollis etiam in carmine amatorio verecundia, ſuſpicioni locum relinquens.

In dulcem tandem ſomnum ſolvitur; adſtat amicus, formamque dormientis admirans longum denuo amorem bibit. Superveniunt urbanæ virgines, ſub veſperam credo, ut ruris deliciis fruantur: his, garrulitate et ſtrepitu moleſtis futuris, obvius prodit amicus, obteſtaturque eas per capreas et cervas, cara Orientalibus feminis animalia, inque deliciis habita, ut canes noſtris, ne dormientem turbent. Adjurationis, exilis quidem, ſed paſtoritia vita et virginibus dignæ, hic ſenſus: *moriantur capreæ cervæque, niſi ſomno hujus amabilis* parcatis. Sic ergo ille:

> Adjuro vos, Hieroſolymitanæ,
> Per capreas cervaſque agri,
> Ne excitate, ne turbate ſomnos
> Hujus amabilis, donec velit.

אהבה non, *amorem*, explico, ſed aliis vocalibus אֲהֻבָה *amabilem*: verbum ſenſu hic fœcundum, et prodens quem dixi admiratorem formæ dormientis.

Audit amica vocem amici, cui unice etiam dormiens attendebat: expergiſcitur, exclamat, ille vento citius relictis virginibus redit:

> Vox amici mei! Ecce venit,
> Saliens in montibus, exſultans in vallibus
> Capreæ ſimilis amicus meus,
> Hinnulove cervarum:
> Ecce ſtat poſt parietem,
> Pulcher tranſparet per frondium retia.

Hac ſcena quid mollius? quid elegantius? quid verecunde venuſtius? canticove amatoris dignius? Sitne ea ipſa, quam poeta in animo habuit, lectione et guſtu facile judicabitur a lectoribus: qui ſi hanc ſcenam Salomoni abjudicent, mihique eam ſoli relinquant, non iraſcar equidem, ſed

Sublimi feriam ſidera vertice.

Sin autem Salomonis mentem recte expoſuiſſe videbor, nullum relinquetur in verſu ſexto noctis indicium, nec in ſeptimo matutini temporis. Somnus ſponſæ diurnus fuerat, ac meridiationi ſimilior, non in lecto, ſed in antro vinario pomis referto, in quod bibendi frigoriſque captandi cauſſa invitata ſeceſſerat. In ejuſmodi antro, inque herbis, noctem agere, non eſt mollium feminarum, quas ros nocturnus læderet.

Hoc autem uno die demto, diſſolvitur ſtatim illa nuptialis hebdomas, qua tota Boſſueti nitebatur hypotheſis.

402. n. 7. (128) Memoria lapſus noſter; בָּנַיִךְ ipſum plurale foret, ſingulare בְּנֵךְ ſine Jod. Excuſari tamen poteſt, ſi ſtatuit, tertiam radicalem ה in בְּנָה mutatam eſſe in Jod, quod interdum accidit. Sed hæc minuta ſunt.

402. n. 12. (129) Non erat, cur hanc indignitatem ægre ferrent, ſive illi, ſive noſter. In imagine poetica non quæritur, ſitne id, unde imago petitur, morum diſciplinæ conſentaneum, alioqui nunquam Deus fingeretur ebrius. Sufficit, ſcelus non eſſe inauditum, neque ita inſolitum et a moribus populi abhorrens, ut auribus ejus nomen moleſtum ſit. Hæc quidem apud nos eſt inceſtus ratio, ſed alia longe apud Hebræos, Ægyptii, Phœniciique moris, non prorſus oblitos; his inceſtus lege ſua vetitus, ſed non ab illis pro portento habitus fuit. Teſtis Thamara, fratri ſpem faciens, ſe a patre obtinendi: teſtis Abſalomus, cum pellicibus patris publice concumbens, quod ſi quis apud nos filius rebellis faceret, næ ille civibus univerſis horrori foret, nec temere ſtultius conſilium ei dari poſſet. 2 Sam. xiii. 13. xvi. 20—23. Ezechiel quoque cap. xxiii. polygamiam Deo tribuit duarum ſororum, lege Moſaica illicitam. Forte ergo hic tenendum בָּנַיִךְ *filii tui*, alluditurque ad mores vicinorum populorum, vetitos, non deteſtabiles Iſraelitis. Non liquet.

403. 14. (130) Hæc tanta gentium diverſitas, mollitieſque apud has, apud illas ſurditics aurium, magnam partem conſuetudine noſtri ſexus cum feminis in vita quotidiana fingitur. Ubi enim fre-

quentius viri cum feminis converſantur, majori aſſueſcunt verborum pudori, qui ex communi ſermone in poemata tranſit. Ejuſmodi ergo populus, cui languidæ videntur ſocietates familiarium, niſi interſint feminæ, nec cœnæ ſine virginibus nec confabulationes placent, licet ſit moribus licentioſior, verbis tamen ita erit verecundus, ut in carmine eleganti reprehendat, quidquid virginem legere non deceat. Habes originem ſeveritatis Gallorum in poemate ad leges verecundiæ exigendo: multa illis judicibus indecora, quæ in Virgilio Latini, in noſtris nos poetis æquiſſime ferimus, ac pene diſplicet carmen, quod virgo legiſſe ſe negare cupiat. At apud Orientales alia omnia: parca ac prope nulla virorum cum virginibus aliorumque uxoribus conſuetudo, ſed aut inter ſe viri confabulantur, liberius illi quidem, quod femineos rubores non metuunt, aut cum uxoribus, quibus in ſermonibus vix ullus pudori locus, cum uxores contemtim habeant; aut feminæ cum feminis colloquuntur, familiariter illæ et garrule, ac ſæpe ubi ſolæ ſunt viris licentioſius. Non mirum ergo, harum gentium linguis omnia proprie dici ſine rubore poſſe, nec muſam diſplicere, quæ ſuis res naturales nominibus vocans, virginem exſuiſſe nobis videtur.

Inter has ergo gentes vivens Ezechiel, exque illarum de decore opinione æſtimandus, reprehendi non debet, quod capite xvi. et xxiii. tanta utitur verborum ſententiarumque (ut nobis videri poſſit) obſcœnitate, cum in eo eſt, ut deteſtandam proponat idololatriæ imaginem, quæ legenti cuivis faſtidio et horrori ſit. Nec inde moribus quidquam periculi; ut enim taceam, obſcenas imagines, ſive a pictore deſcriptas ſive a poeta, diſplicere, ſi nihil lateat; idem fere auribus Orientalium accidit, quod oculis earum gentium, quæ nudæ incedunt; nempe ut ſenſus ad conſuetas et quotidianas nuditates hebeſcant. In re etiam amatoria multo fortius afficiunt occulta, quam patentia; carmenque verecundum plus et irritabit et delectabit, quam maſcula audacia amores canens. Cæterum ſi optio detur, aut ſi de elegantia quæratur poematis, malim profecto Gallorum, quos dicit noſter, ſimilior eſſe, quam poetarum Orientalium.

Neque tamen et hoc reticendum, multo verecundius videri Canticum Canticorum iſtis, quæ modo indicavi, Ezechielis capitibus. Audaces ſunt, fateor, pulchritudinis et membrorum pene omnium deſcriptiones, his tamen exceptis, quæ pudor nominari vetuit, et quæ Ezechiel maxime propriis nominibus appellat deſcri-

bitque: verum nulla in toto Cantico concubitus, reique Venereæ deſcriptio; quidquid hujuſmodi accidit, totum a ſcriptore ſuſpicioni relinquitur. Unicum excipio locum, ſed tamen figuratum, c. vii. 8, 9. quem cur audaciſſimum in toto Cantico putem, intelligent, qui figuram æneam conferent, Kæmpferi amœnitatibus exoticis circa pag. 711. adjectam.

404. 21. (131) Melius quam temere alii difficile argumentum tractavit Noſter, et quidquid dici pro allegorico ſenſu poteſt, præter argumenta theologica, dixit. Et tamen non omnem ex cauti lectoris animo exemit dubitationem, cujus cauſſas, unius veri cupidus, exponam, magnas acturus gratias, ſi quis me his liberare ſcrupulis poſſit.

Ad antiquæ ergo eccleſiæ chriſtianæ auctoritatem quod attinet, ea in quæſtione exegetica non multum momenti facit; cum quod omnino ſcripturæ ſacræ interpretatio ab humana auctoritate non pendet, tum quod patres ob linguæ Hebraicæ et literarum elegantiorum imperitiam in hoc genere theologiæ verſati infelicius, non optimi ejus magiſtri habentur, myſticorum præcipue ſenſuum captatores, ibi quoque, ubi illos optimus quiſque ex recentioribus repudiavit. Tantum iidem a carminis conditi tempore aberant, ut traditione certa ejus ſenſum acceptum habere non poſſent. Longe ſtatuerem aliter, ſi quid tabulæ novi fœderis de Cantico Canticorum haberent; at illæ diligenter a me conſultæ nunquam mihi illud de Chriſto interpretari, aut omnino citare, viſæ ſunt.

Nec major Synagogæ auctoritas, cui ipſi alias in interpretando codice Hebraico non multum fidimus. Judæorum enim quicunque de Cantico ſententiam dixerunt, tot poſt Salomonem extiterunt ſeculis, tanta interjecta ſtrage reipublicæ, eruditionis, et bibliothecæ avitæ, ut, quid ille in animo habuerit, melius quam nos dicere nequeant.

Analogia aliorum carminum, amores divinos ſub humanorum imagine canentium, atque inprimis Pſalmi xlv. eo profecto valet, ut potuerit Salomo ſanctiores ac diviniores amores tali carmine, quale noſtrum eſt, celebrare: quid autem fecerit, quos cecinerit amores, ex illa ſola analogia nunquam diſcetur. Quid enim? nonne et humani conjugum adfectus ab eo exprimi poterant? aut, quod aliqua carmina amatoria Dei et eccleſiæ conjugio ſacra ſunt, indene ſequitur, ut nullum carmen amatorium Hebraicum proprie intelligi debuerit? Unde ergo nobis conſtabit, quales ſint amores, quos Canticum expoſuit?

Hic vero, hic locus fuiſſet, argumentis ex ipſo poemate ductis, et rationibus internis ex operis ſtructura petitis, allegoriam ſtabiliendi. Id vero refugit noſter: prudenter ille quidem, et veritatis quam ſuſceptæ ſententiæ amantior; ſed hac tamen ipſa verecundia cauſſam, quam tenere vult, labefactat. Veri enim diſſimillimum, in tam longo carmine, ſi allegoricum ſit, nihil omnino repertum iri, quod ad veſtigia aliqua allegoriæ ac divinioris amoris nos deducat; nihil, quod non in libro amorum proprie ſic dictorum legi potuiſſet: idque apud Hebræos, qui propria allegoriis intexere et miſcere ſolent, ubi noſtri poematis leges id fieri vetant. Atque etiam hoc moleſtum, quod non liquet, quæ tam longa tot actuum allegoria proponatur ac conveſtiatur moralis ſententia, non prorſus nota, tantæque ſcriptionis indigens: nihil enim ex toto Cantico allegorice intellecto eliciet prudens ac Lowthi ſimilis interpres, præter id, quod nemini ignotum, amare Deum eccleſiam, et ab illa amari. Plus qui exſculpſerunt, multum erràſſe noſtro videntur, nec injuria! Hanc vero unicam ſententiam tam longa tractari allegoria, nec quidquam diſtinctius de natura hujus amoris, nihil arcani prodi, ſive illud aſceticum ſit, ſive dogmaticum, ſive propheticum, quis ſine gravibus rei argumentis credat? Cui hic ea ratio ſola ſufficiat: ſæpe Hebræos allegorice Dei amores canere?

Non ignoro, quid dicturi ſunt, qui theologicis rem agunt argumentis, quamquam eorum in tali quæſtione non magna eſt nec gratia nec utilitas: eo enim potius comparata ſunt, ut tacendum ſit dubitantibus, quam ut certiores ac confirmatiores a dubitatione recedant. Dicent tamen: librum, licet a Chriſto et apoſtolis non citatum, legi in codice Hebraico, ideoque divinum habendum eſſe; non autem parere, quid ſancti, quid divino adflatu digni contineat, niſi divinorum amorum pandat myſteria. Hos vero, ne forte alia omnia agere ſibi viſi ſua ipſi vineta cædant, lectoreſque de divina auctoritate libri incertiores dimittant, monere auſim, caſtos conjugum et teneros amores, ab ipſo Deo mortalium pectori tanto artificio inditos, et ex quibus humanæ felicitatis magna pars pendet, non unius voluptatis, ſed et ex virtutis præceptis eſſe, nec indignos divinæ etiam muſæ commendatione. Fac illum adfectum, qui in Cantico deſcribitur, non, ut ſolet, amantium ante nuptias, ſed et multos poſt annos conjugum eſſe, quam degent beatam terque quaterque vitam, Deo voluptatis auctori gratam! Reprehendent forte hanc nimiam felici-

tatem triſtiores aliqui et truculenti morum præceptores: at vel horum cauſſa, quibus nunquam eccleſia caruit, digna erat materia cœleſtis Muſæ carmine. Quam doctrinæ moralis partem ſi quis præceptis atque pro eruditorum more tractet, plus quidem fortaſſe conferet ad animos convincendos: at non eam in illis relinquet tenerioris amoris imaginem, quam Canticum vivide expreſſit, verecundiam ubique illam intexens, illum pudorem, ſine quibus conjugum amor cito obſoleſcet. Meminerimus vero, nec in Proverbiis dedignari Salomonem, felicitatem et infelicitatem conjugiorum deſcribere.

407.21. (132) Elegantiſſimus locus, quem ſcite, ſed raptim attigit Boſſuetus, c. iv. 8. dignus, cui perfectius et vividius intelligendo adferant lectores, quæ de Amanæ, nunc Fegæ, fluminis fontibus, viciniſque montibus et vallibus, habet Pocockius, p. 122. et 136. deſcriptionis Palæſtinæ. Illud nempe Libani cacumen, quod fluvium Amanam fundit, ipſum et Amana dictum fuiſſe videtur. Nec leonum pardorumque mentio ab amatoria re remota: habet enim occultam ſine omni jactantia commendationem fortitudinis, quæ in eximios ſui amores timidiorem ſexum rapere ſolet, ut vel in proverbio et joco ſit, milites puellis placere. Finge tibi duo amantes in Libano ſolos errare, amicus amicam invitabit, ut ex duplici hujus montis tanquam promontorio, ex Hermone quidem ſubjectæ Palæſtinæ, ex Amana boreali, vallium Syriæ proſpectu impleatur:

> Mecum ex Libano ſponſa,
> Mecum ex Libano veni:
> Proſpectabis ex cacumine Amanæ,
> Ex cacumine Seniri et Hermonis,
> Ex luſtris leonum, montibus pardorum.

409.11. (133) גלש tamen non eſt emicare, ſed *aſcendere*, ſive veterum ſequamur auctoritatem, Alexandrinorum (ex editione Complutenſi,) Syri, Vulgatæ, ſive uſum Arabici جلس. Difficile dictu, quid ſit, *aſcendere ex monte Gilead*. Forte conſtruendum: *capilli tui ſunt ut grex caprarum aſcendentium, qui ex monte Gileaditico ſpectatur*. Minuta ſunt aliqua quæ noto, ſed nolim hæc ipſa minuta decori carminis et tanquam lumini officere apud lectorem Hebraice ſcientem.

410.4. (134) At daturne talis grex ovium? Mihi potius קצובות ſunt, *potu probibitæ*, ab Arabico قصب *bibere probibuit pecudem*. Eſt, ni

fallor, adjectivum poetice pro ſubſtantivo poſitum, ut Virgilio, *bidentes*, qualia multa habent poetæ, Arabici præſertim. Debent autem oves raro adaquari, et quantum fieri poteſt, potu prohiberi. Vide HASTFERI de ovium cultura librum, P. i. c. 3. §. 27. P. ii. c. 1. §. 4. Sic erunt oves ſanæ et bene cultæ, quo et referendum quod ſequitur, *omnes* מתאימות, *gemelliparæ*, non, ut invita lingua hic redditur, gemellæ. Eſt enim et hoc in laude ovium, gemellos parere. Ita dentium ſolus laudabitur candor, et illæſa ſeries, non æqualitas.

(135) Melius fortaſſis, *poſt velum tuum*, ut et modeſtia virgi- 411. 4.
nalis laudetur in conjuge, et ſignificetur, quæ latent eo videri pulchriora, quod oculis ſe noſtris ſubducunt. Certe צמה quoties in Cantico recurrit, ſemper cum בעד POST conſtruitur, ut, hic et c. vi. 7. *genæ tuæ* POST *Samma*, c. iv. 3. *oculi tui poſt Samma*, quod in cincinnos non quadrat, ſed in velum, oculos genaſque obtegens. Ita et Jeſ. xlvii. 2. Alexandrini et Syrus velum vertunt, hic vero Symmachus. Dicitur illud a ضم צמם *conſtringere*. Et hæc minuta nolui prætermittere, quod ad proprium Orientalis carminis colorem referenda ſunt, quo maxime a noſtro carmine differt.

(136) Hæc imago, ſi qua alia in Cantico, pleriſque lectorum 411. 22.
diſplicuit, ut nimis a natura abhorrens, nonnullis et riſui fuit, a quo ſe abſtinuiſſent, niſi ignorato Oriente, nec lectis poetis Orientalibus, de aliqua ſe carminis Hebraici parte, ex pulchro corpore decerpta, ac ne recte quidem intellecta, judicare tamen poſſe confiſi eſſent. Arabibus, ex his enim plures quam ex reliquo Oriente toto poetæ ſuperſunt, nihil frequentius, quam ornatum muliebrem, uniones, gemmas, lunulas, muræanulas, impenſe laudare, jam invictis armis comparare, quibus ſuperbi juvenes debellentur, jam in faſcini ſuſpicionem vocare, tam potentis, ut ei reſiſti nequeat. Quæ laus non tam eſt horum monilium, quam elegantiſſimi corporis, in quo quidquid collocatum eſt, pulcherrimum, et faſcino plenum, et ad amorem ciendum potens et inevitabile fieri videtur: eſtque hæc tanquam occulta laus venuſti corporis eo fortior, quod tectior, ex eodem fere genere, ut illa Virgilii, qui Æneæ arma aptavit Vulcania, non ut his armis virum male fortem tutum præſtaret, ſed ut ipſum invictum, ac divina prope virtute eſſe, clanculum inſinuaret. Hæc ergo monilium, tanquam armorum, laus, quæ in poeſi Arabica proprium locum occupavit, a Salomone etiam amatorio intexitur carmini. Turris, quam di-

cit, Davidis, armamentarium fuiſſe videtur, intus ubique armis plenum, ſed et in cujus muris clypei ſuſpenſi ſole refulgebant, turri decori, hoſtibus terribiles. Proceritatem colli omnino non commendari puto: habet illa, turri comparata, aliquid deformitatis, quod mihi approbare nequeo. תלפיות, quod pinnas noſter vertit, malim aut cum Syro *thecas* interpretari, aut cum aliis vertere; *ædificata ad arma ſuſpendenda*. Fateor tamen, nihil me huic vocabulo lucis ex philologia adferre poſſe, quod enim tradere ſolent, compoſitum eſſe ex תלה *ſuſpendit*, et פה *acies*, incertius eſt.

412. ult. (137) Dolendum, quod eximio poemati interpres etiam defuit, ita, ut fas erat, inſtructus: qui enim ad illud acceſſerunt, theologos potius aut myſticos egerunt, non primos et obvios carminis amatorii ſenſus promere allaborârunt. Nec tamen id ita facile, ut tanquam per ſomnum obrepere interpreti alia meditanti poſſit. Præter penitiorem enim linguarum Orientalium uſum, multa requiritur et morum omniſque antiquitatis, et vero hiſtoriæ naturalis cognitio: quibus rebus accedat neceſſe eſt frequens poematum Arabicorum, amatoriorum maxime, lectio, et, ſine quo verborum phraſiumque habebis, non rerum, interpretem, ingenium denique poeticum. Quæ raro ſingula, nunquam conjuncta, in his fuerunt, qui difficilem librum commentariis illuſtrandum ſuſceperunt. Quod ſi qui ſunt, quibus in Cantico Canticorum quodammodo intelligendo non parum me debere gratus fateor, Bochartus erit, et Celſius, et Schrœderus, qui paſſim in hierozoico, hierobotanico, et libro de ornatu mulierum Hebraicarum, difficiliora ejus loca aliqua illuſtrârunt, alia (nec enim librum interpretandum ſuſceperant) intacta relinquere neceſſe habuerunt.

Ut autem in quibuſdam exemplis appareat, quid novæ lucis elegantiſſimo poemati ex hiſtoria naturali et antiquitate ſperem, en meam de difficillimis locis, c. v. 11, 14. vii. 6, 14. qualemcunque ſententiam. C. v. 11. ignoratur plerumque, et ſolis conjecturis quæritur, quid ſignificet תלתלים. LXX. et Vulg. verterunt ἐλατὰς, elătas (media ſyllaba brevi) i. e. dactylorum involucra: nec rationem deſiderabit interpretationis, Arabiam conſulens, cui تلتلة eſt *ſpatha palmarum*. At quid hæc ad crines? Intelliget vero, quicunque elatas viderit, quo tempore rumpuntur, dactyloſque produnt: ſpeciem enim referre videntur crinis, varie, et cum pulchro aliquo ordinis artiſque neglectu, criſpati. Quas ipſas ſi in hoc tractu obvias non habeas, imaginem earum vide

ære expreſſam, quam *Jo. Bodæus* notis ad *Theophraſti hiſtoriam plantarum* adjici curavit, l. ii. p. 104. editionis anno 1644. factæ. At ſibine conſtat Salomo, hoc ipſo in verſu et nigros dicens crines, et caput aureum,

> Caput ejus eſt aurum purum,
> Cujus cincinni ſunt elatæ,
> Nigri ut corvus.

Optime vero! Licet enim orientales nigros a natura crines laudent, ſolent tamen eoſdem Henna, (ſic cyprum ſua lingua dicunt) inficere, ut flaveſcant, aurique colorem referant. Mos antiquus, de quo in antiquitate Hebraica diſputo: ſed forte olim in hanc rem, æque ut Latini aliquando, auri pulvere uſi ſunt.

Eadem Henna et vultum, et brachia ac manus pingunt, unde primo cæruleus color, ſenſim flaveſcens, nobis quidem in humano corpore diſplicens, ſed illis in deliciis habitus. Jam intelliges aliqua ex verſu 14 et 15 ejuſdem capitis:

> Manus ejus ſunt cylindri aurei
> Inſitis chryſolithis:
> Venter lamina eburnea
> Incluſa ſapphiro:
> Crura columna marmoris
> Fundamento aureo.

Nempe digiti Henna flaveſcentes cylindros referebant aureos, chryſolitho interſtinctos, cujus gemmæ aureus olim color. Olim inquam, noſtri enim aliter nominant eundem lapidem, topaſium dicentes antiquorum chryſolithum. Vide Hillii hiſtoriam foſſilium (*Hill's hiſtory of foſſils*) p. 599. Quodſi cum aliis veterum תרשיש intellexeris hyacinthum veterum, (nobis amethyſtum, collato Hillio p. 593.) cærulus color ſignificabitur, quem eadem Henna cuti inducit. Venter albens, ſed pretioſa veſte ac purpurea tectus, callide comparabitur laminæ eburneæ, ſapphiro inductæ. Fortius nempe commendantur in re amatoria, quæ latent. עלם, Arabice غلف, eſt, *thecæ includere.* שיש ſine dubio marmor, in quo variæ errant figuræ: huic venuſte tibiæ ac furæ comparantur, ſerpentibus cæruleis venis pellucentes, eoque pellucentes magis, quo cutis mollior. Baſis aurea, ſoleæ aureæ.

Capitis ſeptimi verſus 6 eſt ex difficillimis. Caput comparatur Carmelo monti faſtigiato, multiſque arboribus denſo: qua ſimili-

tudine capilli honorem laudari crediderim. Commemoratur et דַּלַּת, in quo vocabulo eo uſque errârunt interpretes, ut non defuerint, qui etymo aliquo ducti *tenuem capillum* verterint, quaſi vero hac laude adulari puellis poſſimus. Mihi quidem crinis longior eſt et copioſior, (qualem decere feminas Paulus, naturæ concinens, dixit 1 Cor. xi.) a دلدل *pendulus fuit*, unde et Chaldæis דליל peniculamentum. Hunc crinem comparat purpuræ, (כארגמן) non opinor ab colorem: Henna enim, qua infici crines dixi, fuſcos facit, non purpureos. Intellexerim potius animal, i. e. Tyrium illum muricem, cujus ruborem lana bibit. Faſtigiatus ille, et ornate in altum aſſurgens, unde et nomen ארגמן accepit a cippi ſepulchralis ſimilitudine. Eſt quippe רגם *lapides in tumulum conjicere*, diverſum a סקל *lapidibus impetere vivum*: indeque tumulus ſepulchralis, lapidibus congeſtis fieri ſolitus, Arabibus رجمة, et tumulus lapidati Hebræis מרגמה, Prov. xxvi. 7. Hinc ארגמן proprie murex ipſe, ornatiorem cippum quodammodo exprimens, deinde et purpura, quæ murice tingitur. Idem vero murex et crini faſtigiato feminarum Orientalium, multis redimito faſciis, apte comparabitur: quod utrumque oculis judicabit, qui ſemel illum viderit, aut qualis a natura fingitur, aut qualem Franciſcus Michael Regenſus expreſſit in regio vere opere *choix de coquillages*. Jam bene additur, מלך אסור ברהטים, quod ipſum ſatis dubium verto, *ut rex redimitus faſciis*, ſequutus Alexandrinos, qui habent, ὡς πορφύρα βασιλέως, ΠΕΡΙΔΕΔΕΜΕΝΗ ΕΙΛΗΜΑΣΙ. Tiara recta Orientalium intelligitur, regum inſigne, et quo altius faſtigiata, eo nobilior. Jam et intelligentur, nec morum Orientis naturæque perito diſplicebunt illa:

> Caput Carmeli ſimile:
> Crinis faſtigiatus ut concha purpurea,
> Ut rex redimitus tiara recta.

Eodem in capite verſus finem habemus dulcem verni temporis deſcriptionem, ſed in qua aut diſplicent, aut languent דודאים odorem ſpargentia, de quibus ipſe Celſius in initio præſtantiſſimi hierobotanici agens rem tamen infeliciter geſſit. Sunt ex antiquiſſima auctoritate [illegible] mandragoræ: at his locum non eſſe in Cantico amatorio Celſius credidit, quod male oleant. Et tamen id ipſum, quod addit Salomon נתנו ריח *dant odorem*, ex Arabiſmo expoſitum, erit, *gravem odorem ſpargunt*: eſt enim نتن ſimpliciter poſi-

tum, *fœtere.* Meminerimus, ex opinione totius fere Orientis mandragoræ vim eſſe in potionibus amatoriis, totamque herbam amoris putari et libidinis: quæ quam bene traduntur aut male, nihil ad nos, ſufficit, ita ſentire Orientem. Hoc ergo dicet canticum: *jam et ſomnifero odore Venereus mandragoras, late olens, ſpirat ſuadetque amores.* Nempe fœtor mandragoræ hircinus, quo ſpargere amorem laſcivo veris tempore videtur. Nec dictu difficile, cur tantopere mandragoras Rubenis adpetierit Rahela, mariti ſobolisque cupida, ut pro illis noctem debitam ſorori venderet: Geneſ. xxx. 14, 15. Quod enim obvertit Vir Summus Celſius p. 9. et 11. hierobotanici, nullam ad mores virtutem mandragoræ eſſe, nec ſanctæ feminæ tales tribui artes debere, in patriarchali familia longe alios mores edoctæ; utrumque parum momenti facit. Sufficit enim, Orientales mulieres hanc vim mandragoræ tribuiſſe, in quo utcunque errârint, hic tamen error faciebat, ut valde fructum tâm potentem adpeterent. Sanctitatem autem aut verecundiam Rahelæ non multum laudârit, qui ejus hiſtoriam ſine ſtudio partium legerit. Quæ idola et colebat, et vero furabatur, idque patri, potuit et mandragora devincire ſibi velle maritum. Mores certe a patre non meliores edocta erat, cujus turpe factum cogitans et impudicum, filiam ſuam virginem inſcio Jacobo proſtituentis, quis non ignoſcet filiæ, potus amatorios miſcere cupienti?

(138) Iſmaelitas omiſit, primo loco nominandos, qui cum poſ- 415. n. 2.
terorum Abrahami maxime eſſent Orientales, (Geneſ. xvi. 12. xxv. 18.) ipſi ſe Orientales, Arabice شَرْقِيُّون dixerunt, quod nomen nos *Saracenos* efferre conſuevimus. Patet hinc et denominationis ratio: Orientales dicebantur non aliarum gentium reſpectu, ſed poſterorum Abrahami. Ex his Iſraelitæ occidentales: Orientales, qui in Arabia habitârunt.

EPIMETRON

IN QUO DISPICITUR,

CONTINEATNE JOBI CARMEN FABULAM? AN HISTORIAM?

ITEMQUE

DE POEMATIS ANTIQUITATE, SCOPO, ET ARGUMENTO.

FABULAM, an hiſtoriam, Jobi carmen complectatur, multum inter eruditos diſputatum eſt: qua in quæſtione ſi auctoritatibus ſtandum ſit, facile jam vincent, ut numero dudum vicerunt, qui hiſtoriam narrari credunt. Suffecerit duumviros nominare, ab his partibus ſtantes, Schultenſium, quo nemo majore eruditionis adparatu librum Jobi tractavit, nemo plus ei lucis attulit, et Lowthum.

Mihi vero non opinabile ſolum, ſed et prorſus verum videtur, fabulam illo poemate conveſtiri, eo fine propoſitam, ut diſcamus, bonis in hac vita male eſſe poſſe, præmiorum enim pœnarumque locum in alia eſſe vita: id autem ſi accidat, ſapientiſſimas ob cauſſas a Deo permitti, ſed ita reconditas, ut nemo mor-

talium assequi illas possit, debeatve scrutari. Cujus sententiæ antequam argumenta exponam, his respondendum arbitror, qui verebuntur, ne aut divinus liber esse desinat, aut parum auctoritatis allaturus sit ad dogmata theologica probanda, pro fabula habitus. Ego vero sic existimo, nihil sanctitati, majestati, divinitati, utilitati libri decedere, licet nullus uspiam Jobus fuerit. Quod si enim sententiæ morales, apte fictis narrationibus convestitæ, et magis placent ac delectant, et arripiuntur atque intelliguntur facilius, et animis altius hærent, non video, cur Deo indecorum sit, per fabulam nos erudire. Et vero quis ignorat, Christum id sæpe fecisse, cujus de Samaritani misericordia, aut de divite et Lazaro, narrationes, quis ideo minoris facit, quod fabulæ sunt?

Quod si mihi detur, assensu paulo insolentior factus et hoc persuadere audebo: morum præcepta, dogmata, inque adversis solatia, abundantiora ex fabula de Jobo peti, quam ex historia Jobi posse. In vera enim historia sermones perscribi necesse erat, quales habiti a Jobo et amicis fuerant, meris hominibus, spirituque Dei non actis, quippe quos multum in disputando peccâsse, interveniens Deus, et utrosque stultitiæ arguens, edicit. Quid ergo veri habeant, quid falsi, vix intelligi, exque illorum sermonibus nullum dogma theologiæ, præceptum nullum de moribus stabiliri poterit. Sola historia, at quam brevicula! et Dei oratio, divina erit: reliqua omnia humana. Fabula autem divinitus inspirata si fictis personis colloquia tribuit, quæ aptissima videbantur ad eos sensus exprimendos, quos de hujus vitæ miseriis concipere solemus: habebimus primo informatam a Deo animi humani imaginem, quales in morum doc-

trina maximi facere, et *characterum* nomine laudare ſolemus; deinde ſecuri eſſe poſſumus, Jobum et adverſarios non errare, niſi in ſumma cauſſæ, de qua diſputatur, non in *parergis*, ut cum angelorum mentio Eliphazo incidit, aut quemquam ex mortalibus purum naſci Jobus negat. Falſa hæc omnia eſſe poterant, ſi homines non ficti diſputarent: at Deo, labi neſcio, diſputationem informante, non errabunt colloquentes niſi ubi errare debent; non oſcitantia, non ignoratione, præter hos neceſſarios errores alii irrepent. Denique ex tota diſputatione ſic melius colligi poterit, quas diſputantium ſententias probet Deus, quas errorum exempla ponat. Prudens auctor ſi dialogum confingat, quid ipſe ſenſerit, colligi ex argumentorum diſpoſitione et tractatione poterit: ut nos quidem ex Ciceronis libris de natura Deorum colligimus, quid ſcriptor de Diis ſenſerit, aut potius dubitârit, non id facturi, ſi veros ſermones commentantium philoſophorum retuliſſet.

Jam audacior paullo, invidia certe liberatus, ad id accedo, quod probandum ſuſcepi. Libri ergo exordium in quo Satanas adcuſator Jobi comparet, fabulam quidem magnopere decet, at a veriſimilitudine hiſtoriæ eſt remotiſſimum. Indicâſſe hoc ſufficiat: nec enim opus eſt, ut demonſtrem, quam ſit incredibile, tale colloquium Deum inter et Satanam, nova ex orbe terrarum renuntiantem, habitum eſſe. Ita certe æſtuare hic videas interpretes, eos maxime, qui impiorum objectiones retundendas ſuſceperunt, ut ſuſpecti quid et adfecti ſubeſſe, ipſoſque ſibi conſcios laborantis hiſtoriæ, facile agnoſcas.

Nec his diluendis ſufficit, quod forte prudentior aliquis ex interpretibus, Lowthi ſimilis, reſponderit,

ipſeque pagina 417—420. innuit: ſummam modo rerum veram eſſe; ſed hanc exornari figmentis quibuſdam poeticis, ex quibus ſit illud Satanæ cum Deo colloquium. In hoc enim colloquio et adcuſatione rerum eſt ſumma, ac nodi ſolutio. Tantis hominum optimus jactatur malis, ut nec ipſe nec adverſarii expediant, quomodo tam crudeli equuleo virum bonum imponere tam benevolum numen poſſit: nec Deus conſilii rationes exponere dignatur, objurgans utroſque, quod de rebus nimis obſcuris diſputent. At auctor libri nodum, omnibus his colloquiis non ſolutum, diluit, ut lectores intelligant, quam male ab his, qui ante geſta ignorant, nec totam rerum univerſitatem complectuntur animo, de conſiliis Dei, deque felicitate aut miſeriis mortalium ſententia dicatur. Jobi, generis humani univerſi, ipſiuſque pietatis honori conſulebat, ac tanquam defenſor exſiſtebat Deus, per breve tempus Jobum miſerum eſſe permittens, Satanæque refellebat, ipſo Satana opitulante, adcuſationes. Fac ergo, hæc, quæ de Satana narrantur, conficta eſſe, reliquam hiſtoriam veram: tota laborabit, eritque merus ſine ſolutione nodus. Quod autem de libris hiſtoricis Lowthus addit, in quibus ſimilia occurrant, 1 Reg. xxii. 19—22. hujus loci omnino non eſſe videtur. Non hiſtoria in libro Regum refertur, nec loquitur auctor libri, ſed propheta viſionem exponit, cujus hæc ſumma erat, falſis vaticiniis deceptum iri Iſraelitas, id quod et factum eſt, nec illius viſi fictio a ſumma rerum aberrabat. At qui Jobi libro hiſtoriam contineri putant, iidem et volunt, primo et ſecundo in capite hiſtoricum loqui, qui quidem et narrare debet res, prout acciderunt, et ſi quid ei fingere detur, non ea confin-

gere, quibus demtis totius libri ſumma ad nihilum redigetur. Deme enim hæc duo capita: habebis Jobum cum amicis andabatarum more diſputantem; intervenientem Deum, ſed a cujus interventu non ita recedas doctior, ut vel conjicere aliquid de conſiliorum ejus ſapientia, ac de nodi, quem nectebat liber, ſolutione poſſis. Mentitus videbitur ſcriptor, ut Deum excuſaret, qui ipſe cauſſam tueri ſuam non poſſet. Omnia ergo eodem loco habenda: aut hiſtoria, aut fabula, ſunto univerſa.

Deinde genus dictionis ubique poeticum, ac tam grandiſonum, ut quovis pignore certare auſim, nullos unquam ejus ingenii ac ſpiritus ſermones extemporaneos fuſos eſſe. Prudentiore excuſatione uſus noſter, ſermones poetice exornatos arbitratur, quod qui ſtatuunt, illos hac parte vix convinci erroris poſſe exiſtimem, atque adeo unum argumentum lucrari facile patior. Nec tamen ſunt omnes, qui hiſtoriæ veritatem tuentur, tam verecundi. Ipſe Schultenſius, vir magnus, et Orientalis eruditionis ſua ætate princeps, ut perſuaderet, rem non adeo incredibilem eſſe, laudat Arabum facultatem carmina non meditata fundendi. Hic vero, ut non negem, valde gentem poeſi ſtuduiſſe, ejuſque etiam extemporalitati: nunquam tamen mihi perſuadebo, id quod omnes ingenii humani vires ſuperare præſtantiſſimorum poetarum exempla docent, perfecta adeo carmina, quibus nihil ſublimius nihilque lugubrius uterque orbis audivit, colloquendo effuſa eſſe. Deos mihi fingit, non homines, qui talia ab illis ſperat. Ac vero ridiculæ artis fuiſſet, in tanta rerum acerbitate facta adeo uti oratione; diriſſimos dolores pulcherrimo carmine deplorare, et deſperantem elaboratiſſimis ſolari verſibus.

Hæc quidem, quæ dixi, veritati hiſtoriæ opponere, non infrequens interpretibus: ſed ſunt et alia, præter illa quodammodo tralatitia, quæ me ab hiſtoria ad fabulam deducunt. Tot numeri rotundi, atque etiam duplicati, in vita Jobi narranda concurrunt, quod caſu conſiſtere non eſt opinabile. Decem ei liberi perierunt. filii ſeptem (in quibus licet non rotundum, ſacrum tamen et perfectum Orientalium numerum eſt agnoſcere) tres filiæ: ad horum modum vii ovium millia, iii. camelorum. Mille præterea boves, et perfecte dimidiato numero aſinæ quingentæ. Pro his redduntur deinde xiv ovium, vi. camelorum, ii. boum millia, ac mille aſinæ, exacte duplicatis numeris: liberi totidem quot habuerat, vii. filii, iii. filiæ, hoſque ei parit una ex malis reſidua uxor, non certe juvencula, ſed x. jam antea liberorum, et vero adultorum, mater. Annorum, quos poſt cladem felices egit Jobus, eadem ratio: duplicati ſunt ex numero ſeptuagenario. Hæc omnia artificem arguunt, hiſtoriæ conditorem, qui rotundos arripere numeros ſolet, quod eorum nobis primum in mentem venit; non illum caſum, qui unus in omni rerum vere geſtarum ſerie dominans, mira numeros varietate miſcet, raro perfectos, plerumque imperfectos ſortiens. Nomen etiam Jobi, quod Arabice *bene reſipiſcentem, Deumque laudantem* [a], et quidquid Deo injurum eſt de-

[a] Ab الاب *reverti, reſipiſcere*, faciunt, اواب *bene reſipiſcens, qui ſerio ſe ad Deum convertit, eumque laudat.* Nempe in ſecunda conjugatione اوب eſt *Deum laudare*, et vero, ut ſolent Arabes lexicographi, verbis سبحان الله *O laudem Dei*, quorum uſus eſſe ſolet, ubi cogitationes blaſphemas a ſanctiſſimo numine abeſſe vo-

teſtantem, ſonat, atque ob hanc ſignificationem Moſi cum Hebraico ישוב REVERTETUR, commutari ſolet [b], adeo hiſtoriæ viri aptum, qui aſpere Deo obloquutus, tandem reſipuit, ut non a parentibus, fatorum ſuæ ſobolis ignaris, inditum, ſed a fabulæ conditore fictum videatur.

Accedit quartum argumentum, quod colloquia, in media Arabia atque ab Arabibus habita, ita tamen abundant imaginibus Ægyptiis, ut Ægyptus æque ac patria nota videatur fuiſſe ei, qui hoc carmen fudit, ſemperque menti ejus inerrâſſe. His quidem de imaginibus Ægyptiis in commentatione egi, ſocietati Regiæ ſcientiarum Gœttingenſi ante aliquot annos recitata, cui titulum *de Jobo Ægyptio* ita feci, ut imitatorem Ægyptiarum imaginum, Homerum, aliqui *Ægyptium* dixerunt: quæ commentatio ſi quando prodibit, facile mihi dabunt lectores, talia colloquia ab Arabibus habita non eſſe, ſed conficta ab auctore Arabiæ et Ægypti æque gnaro.

Denique, quod caput rei eſt, aliqua in libro Jobi ita comparata ſunt, ut omnino in vera hiſtoria locum habere nequeant. Eo tempore, quo jam infra ducentos annos priſca ſubſederat patrum longævitas, centum tamen et quadraginta annos poſt ſuperatum morbum Jobus vixit, ideoque non valde grandævus eſſe potuit, cum in iſtum morbum incideret: et tamen amicis, qui juvenes non fuerunt, quippe quorum canitiem diſputatorum ultimus, Elihu, reveritus eſt [c],

lunt, ac deteſtantur Arabes. Vide quæ ex Gjaurio excerpſit Golius p. 181, 182.

[b] Qui Geneſ. xlvi. 13. יוב *Juba*, vel *Jobus*, demta modo prima litera, idem Num. xxvi. 24. ישוב.

juventutem exprobrat, additque, ne dignos quidem eorum patres ſibi viſos eſſe, quos canibus ſuis paſtoritiis adderet[d]. Et vero hi ipſi amici ſenectutem ſuam prædicare, utque ejus reverentia juniorem Jobum tandem ſubeat, exigere ſolent. Sic quippe Eliphazus, c. xv. 10. *etiam ſenex etiam decrepitus ex nobis eſt, patre tuo diebus major.* Hæc ita aperta fronte ſecum pugnant, ut ex vera hiſtoria delibata eſſe nequeant: nec enim hominum juventus aut ſenecta ita latent, ut talia inter ſe diſputaturi unquam amici ſint. Natalium quoque dedecus, amicis exprobratum, c. xxx. 1—6 a veri ſimilitudine abhorret: incredibile enim, virum tam divitem et nobilem ex iſta ſentina abjectiſſimæ plebis amicos legiſſe.

Laborare ita non hiſtoriæ modo veritatem, ſed et fabulæ veriſimilitudinem dixeris. Neque obnitor. Eſt hoc adhuc ex fabulæ infantia, atque ut ita dicam Orientalitate; minus enim, quam nos facimus, veriſimilitudini fictionis et antiquitas ſtudebat, et ſtudet Oriens. Quamquam in hac excuſatione non ſunt omnia, niſi fabulæ tam veridiſſimili aliquid ſubſit hiſtoriæ veræ, atque ſub Jobi et amicorum perſonis gentes integræ proponantur. Harum quippe eſt, controverſias de ſua antiquitate habere, dubias ſatis et incertas, quia populorum origines obſcuræ eſſe ſolent. Eodem et nos deducit natalium turpitudo a Jobo exprobrata amicis, nam et hanc objicere gentes ſibi ſolent: eſtque in c. xxx. 1—6. graphica troglodytarum deſcriptio, a quibus maternam ſtirpem duxerunt Idumæi, mutuis etiam deinde matrimoniis cum troglodytis confuſi, quo de loco, et de cognatione utri-

[d] Job. xxx. 1.

usque populi, in commentatione de troglodytis nuper edita egi[c]. Hæc ergo indicia si sequamur, videbitur quidem quæstio de magnis bonorum miseriis tractari, sed cum respectu ad aliquem populum, veri Dei cultorem, mire miserum.

Sed antequam quo hoc pertineat explicem, necesse est, eam objectionem dilui, qua nos premunt veritatis historicæ defensores. Ab Ezechiele enim Jobum cum Noacho et Daniele, personis non fictis, componi, et a Jacobo exemplum proponi patientiæ aiunt: Ezech. xiv. 14, 20. Jac. v. 11. quasi vero indecens sit, ficta etiam perfectæ virtutis exempla ad imitandum commendare, aut alius sit ejusmodi fictionum in doctrina morum finis, quam ut virtutem in illustri aliqua imagine contemplandam imitemur. Quis quæso ægre feret, Lazari aut Samaritani exemplo moneri ecclesiam, licet utrumque nuspiam fuisse credat? Locus Ezechielis ipse quidem fictionem habet, et vero impossibilem; fieri enim omnino nequit, ut viri non coævi, Noachus, Jobus et Daniel, in eadem simul urbe vivant. Nec inauditum, aut absurdum, veras personas et fictas in proponendo exemplo conjungi. Fac, patrem Lucretiæ et Pamelæ castitatem commendare filiæ, quis tam rigidus censor sit, ut id reprehendat?

Ad illud jam revertor, quod supra innui; tractari quidem hoc carmine universam de bonorum miseriis quæstionem, sed ita, ut populum veri Dei cultorem magnis malis oppressum solari scriptor cupiat, personamque Jobi illi quodammodo accommodet. Non ambigent lectores, quem populum dicam; Israeliti-

[c] §. vi. Vide *Syntagma commentationum* p. 193. seqq.

cum, cui poſt præclaras promiſſiones Abrahamo factas accidit tamen, ut ſub immiti Pharaonum tyrannide halitum vix ducere poſſet. Ad illam ergo ſententiam dedecus natalium amicis exprobratum, juventuſque Jobo ab amicis, et amicis a Jobo objecta, me deduxit, quam p. 417, 418. vaniſſimam cenſuit Lowthus, quod morum, rituum, rerum Iſraeliticarum nullam ſpeciem aut umbram, ſibi reperiſſe videbatur. De rebus quidem deinde, quando Jobi fabulam cum hiſtoria Iſraelitarum comparabo: mores vero toti ſunt Abrahamici, ſeu quales eſſe ſolebant in gentibus ab illo ortis, Iſraelitis, Iſmaelitis, Idumæis; perlucetque ubivis plurima antiquitatis Hebraicæ imago, ut non videam, quid hac parte deſiderari poſſit. Ut exemplis utar, Goeli comparatur Deus, cognatum ſibi pulverem aliquando a terra vindiciarum jure repetiturus: hoſpitalitas, ſumma virtus: in portis urbium judicia, et honoratiorum conventus: cibo et potu, quem quis domino parat, eum, qui parat, abſtinere, nefas, ex qua æquitate fluxit etiam illud Moſaicum, de bove triturante non capiſtrando. Sed forte mores voluit privos Iſraelitis, quibus ab Arabibus diſtinguantur. Hos quidem intexuiſſe non magnæ laudi foret auctori carminis, ſcenam in Arabia ponenti: nec fortaſſis Lowthus cogitavit, quam ſit in tanta rerum antiquitate dictu difficile, quibus moribus conjunctiſſimæ ac germanæ gentes a ſe invicem diſtinctæ fuerint: denique ſi quos Iſraelitæ mores ab Iſmaelitis ſejunctos habuerunt, aut Ægypto illos debebant (Ægyptiarum autem rerum mentionem nemo temere deſideret) aut ſub Moſe ſerius eos didicerunt, quam ut commemorari in libro queant, ſervitutem Ægyptiam ſolaturo. Hoc et de ritibus tenendum ac religionibus, quas ſi

ab antiquis et Abrahamicis diverſas habuere Iſraelitæ, inſtitutæ demum a Moſe ſunt, nec potuerunt in libro ante exitum ex Ægypto ſcripto attingi. Quis enim in tali carmine paſchalem agnum, quis feſta Moſaica, quis ſacerdotes in locum primogenitorum ſurrogatos, quis tabernaculum conventus quærat? At horum omnium locum ſupplet ad res Ægyptias alluſio tam frequens, ut ſcena conſtitui in Arabia, agi in Ægypto, Ægyptumque in mente et pene in oculis habere auctor videatur[f].

[f] Quoniam vix ſpero, fore, ut brevi prodeat mea de Jobo Ægyptio commentatio, annis 1753. et 1755. ſocietati ſcientiarum Gœttingenſi prælecta, paucula ex illa delibare lubet.

1) Morbus Jobi, elephantiaſis, de quo infra, eſt Ægyptius.

2) Papyri bis mentio, ſemel ſub nomine גמא, de quo vide *Celſii hierobotanicon*, l. ii. inde a pagina 137. Prior locus c. viii. 11, 12, 13. in quo explicando ex Arabiſmo ſumo, בצה de rebus poni ita aridis, ut aquam retineant ſorbeantque, et בצה non largum, ſed tenuem ac parcum humorem indicare. Nempe papyrus largo humore deſtituta deſuper areſcit, flammis paratum pabulum, ut docet nos Heliodorus in Æthiopicis p. 10. et 54. Sic ergo Bildadi verba verto:

> Areſcetne papyrus aqua non decreſcente?
> Aut juncus creſcit ſine aqua?
> Virens adhuc carpitur,
> Et ante omne viride areſcit.
> Sic ſunt fata oblitorum Dei;
> Spes profani peribit.

Illuſtrior alter de navibus papyraceis locus, c. ix. 26. de quo nemo dubitabit lecto Plinio l. vii. c. 56. xiii. c. 22.

3) Solent Ægyptii Nilum mare dicere, teſte Diodoro Siculo l. i. c. 12. Lege et *Chriſt. Mülleri ſaturam obſervationum* p. 159. et adde Corani loca, Sur. vii. 132. xx. 39. xxviii. 6. Hoc nomen ſubinde quidem in Hebraicis obvium, ut Jeſ. xviii. 2. xix. 5. Ezech. xxxii. 2. Nahum. iii. 8. in ſolo Jobi carmine ter recurrere videtur, c. vii. 12. xiv. 11. xxvi.

Nec Iſraelitarum diſſimilis Jobus: perierunt his, ut Jobo, et opes, et Pharaonum tyrannide liberi; at-

12, 13. Imagines hic a Nilo petitæ, non ab Oceano. Suas nempe poſt magnam felicitatem miſerias c. xiv. 11. Nilo comparat Jobus, totam per aliquot menſes Ægyptum inundanti, ſed Martio et Aprili intra ſuas ripas tarde ſtagnanti, ac peſtiferos etiam odores exhalanti. Ultimus locus reliquis duobus illuſtrior, atque etiam ad mythologiam et hiſtoriam Ægypti naturalem alludens. Nempe quæcunque Ægypti Nilo non merguntur, ea ſterilia et deſerta: illi vero deſerto, quod Ægyptum ab Aſia diſterminat *Rabab* nomen eſſe, evictum dedit, quem modo citabam, Müllerus c. vii. ſaturæ ſuæ. Quo autem tempore pigrior ſtagnat Nilus, febres peſteſque terræ incubant, fugandæ, ubi flantibus eteſiis Nilus tumeſcit: quod Ægyptii ad mythologiam referentes fingebant, Typhonem, malum genium, cujus morbi et peſtes erant, ab Horo, æſtivo ſole, vulnerari atque occidi. Iidem et ſterile deſertum Typhoni ſacrabant, fingebantque ejus uxorem eſſe, cui flantibus peſtiferis Euris improlis maritus incubet. His a Jablonſkio in Pantheo Ægypti paſſim peroratis, qui et monet, crocodilum imaginem Typhonis fuiſſe, vix opus eſt, ut aliud addam, quam נחש בריח *ſerpentem infauſtum* (ſic enim verto ab Arabico برح) crocodilum videri; quod utrumque ſatis me planum facere poſſe confido. Habebis jam laudem Dei prorſus Ægyptiam, accolas Nili decentem:

> Robore ſuo reducit mare,
> Et ſapientia ſua percutit Rahab.
> Vento ipſius cœlum ſerenatur,
> Vulnerat manus ejus ſerpentem diri ominis.

Id vero eſt, *Ægypto inducit iterum mare; at ſterile deſertum, ab eo non mergendum, anathemate percutit. Eteſiis ſuis cœlum ſerenat, et ipſe, non Horus, vulnerat Typhonem, morborum dæmonem.* De Nilo certe, non de alio mari ſermonem eſſe, et reliqua adjuncta declarant, et quod alia maria non relinquere ſolent fundum, cui incubuerant, ac denique nomen רהב, quod parti Ægypti proprium eſſe, omnes viderunt.

que etiam late Ægyptiorum morborum, eorum quibus cutis infeftatur, contagia inter illos ferpfiffe, certum habeo. Fabulofa funt, fateor, ac ne verifimiliter quidem conficta, quæ habent exteri de Ifraelitis ob lepram Ægypto exturbatis. Quis enim fexcentis civium millibus hac fola carere cauffa rex velit? idque in Ægypto, in qua hic morbus non adventitius erat ac novus, fed indigena? Subeft tamen mendacio non parum veri: legefque Mofis, de lepra et gonorrhæa præcipientes, argumento funt frequentiæ horum morborum. Ad curam enim legiflatoris vix alii morbi pertinere folent, quam quorum late contagia graffata magnam populi partem adfecerunt. Nec dubitandum, quin hæc tam atrocia mala cognatis in Arabia populis, Ifmaelitis, Midianitis, Idumæis, magni cujufdam delicti pœnæ vifæ fuerint.

Sed de hoc utcunque ftatuant lectores, perinde erit ad libri intelligentiam: cum enim univerfa tractetur de ærumnis piorum quæftio, parum refert, quid illi tractationi occafionem dederit, et quem folari auctori fuerit deftinatum, populum aliquem, an pios in univerfum omnes.

Pendet tamen ex hac mea aut fententia, aut opinione, alia de Mofe libri auctore fufpicio, quæ mihi Ægyptium poematis colorem cogitanti fubnafcitur. Eftne enim verifimile, homini in Idumæa nato et educato Ægyptias imagines æque ac domefticas in promtu

* De verbo רגע, quod *reducere* verti, fi quis dubitet, legat quæ habeo in *fententia de adjumentis linguæ Hebraicæ explicandæ* (Beurtheilung der Mittel &c.) §. xii. et xxxvi.

4) Leviathan, tam copiofe defcriptus, quin crocodilus fit, vix dubitandum: quod ipfum in commentatione de Jobo Ægyptio argumentis mihi confirmâffe videor.

fuiſſe? aut quem Arabiæ incolam (nam et aliqua Arabiæ priva habet liber Jobi) tale genus dictionis magis decet, quam Moſen, in Ægypto natum, educatum, ſcientiis imbutum? Cujus vero magis erat, divino juſſu Iſraelitas ſolari in Ægypto oppreſſos, quam hujus exſulis, ex ſervitute eos aliquando Ægyptia liberaturi? His quoties addo inſulas beatorum, Moſaico et Jobi carmini communes[g], idque ipſum, quod utriuſque carmine nihil habet poeſis Hebraica excellentius; adblandientem mihi conjecturam ſeverius repudiare nequeo. Nec equidem tam ſum ad ſenſus poeticos percipiendos ſtupidus, ut non intelligam, plus in Jobi poemate quam in reliquis Moſaicis tragici eſſe adfectus, impetuſque poetici, quod forte dicere voluit noſter, ſtilum hujus poematis a poetico Moſis charactere diſcrepare monens[h]: ſed id ſcriptorem dialogi Jobæi a Moſe nondum ſatis diſtinguit. Ut enim taceam, multo ſæviores ſententias, ac breviora inciſa, fingi debere furentis et deſperantis, quam eccleſiæ hymnos canentis; cogitemus, aliam vim eſſe ingeniorum in flore, aut in incipiente maturitate ætatis, quam plena et decidua tanquam autumnitate. Jobi fabulam ſi concinnavit Moſes, fecit id xl. annos natus, id vero eſt, pro illius temporis ratione, juventute fervens; at reliqua quæ ſuperſunt carmina ab octuageſimo anno uſque ad centeſimum et viceſimum meditatus eſt; in quibus tantum ſupereſſe vigoris poetici, ſæpe mihi miraculo fuit. Aliam ſtili diverſitatem non intelligo.

Antequam ad diſputationum ſeriem pandendam pergam, rationes addere lubet, quibus ductus in eo-

[g] Epim. ad Prælect. IX. p. 84. et 87.

[h] P. 417.

rum concedere partes nequeo, qui Iſraelitarum quidem ſolatio illud ſcriptum, ſed multo putant eſſe recentius, exſiliique Babylonici acerbitatibus lenimen adferre. Eſt hæc plurium, fuit etiam *Hermanni van der Hardt*, ſententia, ſed quos omnes nominare et ab ejus libri, cui epimetra addo, conſuetudine abhorret, et forte non magnam haberet utilitatem. Unum ergo ex illis mihi adverſarium legam, et vero (ut puto) reliquis multo præſtabiliorem, inque hoc argumento tractando diligentem, *Thomam Heath*, Anglum [i]. Hic quidem aliquem aliquando Jobum vixiſſe putat, pietate, miſeriis, et reſtituta felicitate nobilem, gente Iſraelitam: cujus hiſtoriam, traditione acceptam, poſtquam diu vulgata per Orientem eſſet, incertus auctor temporibus Babyloniis carmine exſequutus ſit, ut ſolatii aliquid civibus adferret, quæſtionemque ſimul pro viribus tractaret difficiliorem, Qui populo Dei tam dira et atrocia evenire potuerint. Cum enim maximas haberent Iſraelitæ promiſſiones felicitatis in hac vita et florentis reipublicæ, inextricabilem aliquem nodum in hujus exſilii miſeriis fuiſſe; quem tentet auctor, ſolvere nequeat, quod immortalitatem animorum ignorârit: (hac enim parte Heathus, quod mirere, ſequitur Warburtonium, vix aliud quidpiam incredibilius in *divina* ſua *legatione Moſis* aſſerentem, quam, immortalitatis alteriuſque vitæ ſpem a toto Jobi libro abeſſe.)

Mihi vero Heathiana ſententia minime videtur

[i] Edidit Londini anno 1756. *An Eſſay towards a new Engliſh Verſion of the Book of Job from the original Hebrew. With a Commentary, and ſome account of his Life.* Quo de libro in ephemeridibus Goettingenſibus literariis ſententiam dixi pag. 484—487. anni 1758.

eligenda. Primo quod totius poematis ea eſt puritas, elegantia, ſublimitas, qua nihil majus perfectiuſque in toto Hebraico codice ſupereſt. Nec in Arabicis, quod ad eam propius accedat, legi. Hocne poema, auream ubique linguæ Hebraicæ et Moſaicam ætatem ſpirans, ad ferrea illa tempora detrudamus, quæ exſtincto uno bono poeta, Jeremia, nihil perfecti, ac ne quidem mediocriter pulchri fuderunt? Deinde ejuſmodi dubitationi ac diſputationi exſilium Babylonium nullam dabat occaſionem: conſtabat enim, ob graviſſima peccata populum diuturnis ac quotidianis prophetarum vocibus repugnantem juſte plecti, idque non ſolum prophetæ prædixerant, ſed ille ipſe Moſes, de cujus ſolis promiſſionibus Heathus loquitur, magna adſeveratione minatus erat. Hic ſi quis Judæus tam inverecunda fronte fuiſſet, ut miraretur, qui populo alia ſibi omnia ex promiſſionibus Moſis canenti tanta immitti mala potuerint, Jeremias certe aliquis aut Daniel non multum laboraturus in nodo illo longe aliter ſolvendo erat. Huic vero Jeremiæ ac prophetis aliis inſigni impietate contradixiſſet, ſi quis in illius temporis ſolatium talem librum ſcripſiſſet, idque tam impudenter, ut Iſraeliticam gentem ſub perſona proponeret hominis omnium mortalium optimi ac religioſiſſimi, in quem ne Satanæ quidem crimen, niſi fictum, ſuppeteret. Sola Jeremiæ lectio ſufficit ad hanc ſententiam jugulandam.

Nec tamen ſine argumentis Heathus recentiorem multo librum fecit, quæ expendere eo magis noſtrum eſt, quod Lowthus, ſummæ antiquitatis aſſertor, idem facturus fuiſſe videtur, ſi poſt Heathum ſcripſiſſet.

Colligam illa ex præfatione et notis Heathi, atque ſub certa capita referam numeris diſtincta.

1) Primo putat [k], frequentem ad leges Moſaicas alluſionem Iſraelitici quid in hoc carmine prodere: hac parte Lowtho maxime oppoſitus, qui rituum Iſraeliticorum nullam ſpeciem umbramve reperit [l]. Quos inter quodammodo medius, multas leges Moſaicas diu ante ipſum conſuetudine juris vim aut ſaltem æquitatis opinionem habuiſſe cenſeo; qua de re plura in jure Moſaico, quod paro. Hæc defenſio plus quam ſufficit exemplis, at vero quam paucis? quibus Heathus utitur. Nempe c. iii. 19. ubi *manumiſſus* nominatur, et c. xli. 4. ubi *ſervus æternus*, alludi putat ad legem Exod. xxi. 2. de ſervo Hebræo ſeptimo anno dimittendo, ac ſi ſervire æternum velit, aurium perforatione ſignando: quaſi vero ulla gens fuerit, ſervos habens, quæ non et perpetuam aliorum ſervitutem, manumiſſionem aliorum habuerit. Quæ niſi ſufficerent, addere poteram, ipſam illam ſeptennem ſervitutem a majoribus tralatitiam ad Iſraelitas veniſſe, cujus exemplum in Jacobo, duo ſeptennia pro duabus uxoribus ſerviente, videamus.

Non multa ex hoc genere collegit Heathus, ut memoria lapſus videri poſſit, frequentiam ejuſmodi alluſionum in præfatione commemorans. Uni tamen loco maxime confidit, c. xxxi. 28. ubi idololatriæ crimen his exaggerari verbis putat: *etiam hoc eſt crimen judicum.*

[k] Præfat. p. vii. viii. [l] P. 417.

Nullas enim leges fuiſſe putat, præter Moſaicas, quæ idololatriæ pœnas decreverint, gentem nullam aliam, in qua hoc quis crimine judici deferri potuerit. Mihi vero nihil hoc verſu videtur languidius, ſi ab Iſraelita fuſus ſit, cujus legibus capitis periculum idololatriæ proponebatur. Apud nos ſi quis Jobo comparandus inter alia teſtaretur, ab omni ſe latrocinio immunem eſſe, adderetque: *nam et hoc ex peccatis eſt, propter quæ actio datur:* aut ſi Virgilius poſt illud

> Hic thalamum invaſit natæ vetitoſque hymenæos,

ita pergeret,

> Hoc quoque prætori crimen, datur actio—

quis tantos ſine faſtidio perferre languores poſſet? Augere poeta crimina et incendere debet, in quæ invehitur, non ejuſmodi carminis mediocritate diluere, omnemque illis horrorem demere. Adde, ne apte quidem ad leges grammaticas פְּלִילִי pluraliter ab Heatho converti, *judicum.* Mihi quidem, ut alia taceam veri non diſſimilia, quæ editoribus polyglottorum placuerunt[m], עון non eſt עָוֹן *culpa*, ſed עֹוֵן, participium verbi עון, *obliquis oculis obſervare*, quod Arabiæ non ignotum in textu quoque Hebraico occurrit 1 Sam. xviii. 9. forte etiam, ut in collegio critico nuper edito ſuſpicatus ſum, Pſ. xl. 13. De occulto crimine loquitur Jobus, cultu

[m] *Etiam hæc iniquitas judicata*, i. e. iniquitas deciſa, ſeu, non dubium peccatum eſt.

ſolis, aut ſola animi inclinatione, aut clandeſtina oſculi delibatione peracto; quod inſidioſis tanquam et obliquis oculis obſervaturus fuerit judex, idemque læſus, Deus: utque Prudentius:

Speculator adſtat deſuper,
Qui nos diebus omnibus
Actuſque noſtros profpicit
A luce prima ad veſperam:
Hic teſtis eſt, hic arbiter,
Hunc nemo fallit judicem:

ita et Jobus, ſed verborum parcior:

Illud ſi lumen ſpectavi, quia ſplendet,
Lunamque magnifice euntem,
Animuſque meus clam inclinatus eſt,
Manuque furtiva delibavi oſcula:
Etiam ille ſpecularetur, judex meus,
Abnegâſſemque Deum deſuper adſtantem.

2) Deinde multam putat Iſraeliticæ hiſtoriæ mentionem carmini intexi.—Sola vero judicaturo ſufficit eorum locorum lectio, quæ huc trahit: jam enim pro arbitrio ita ea explicat, ut ad Iſraelitarum hiſtoriam referri poſſint; jam habent, fateor, aliquid, cui ſimile aliquid aliquando alicui Iſraelitarum accidit, ſed et accidere in omnibus populis ſolet. Huc refero c. iv. 16. v. 21, 22. xii. 17, 24. xv. 20. xxxiii. 23, 26. xxxiv. 20, 24, 25. xxxvi. 7, 8, 12, 30. xxxviii. 14, 23. illuc c. xi. 10. xv. 19. xxviii. 10, 11. xxxvi. 1. xxxvii. 13.

3) Multo pluris facio tertium argumentum. Ante

Mofen, inquit, Jehovæ nomen inauditum: at hoc ipfum nomen in hiftorica parte libri promifcue occurrit; in poetica folicite evitari videtur, nec tamen ea diligentia, ut non aliquando irrepferit. Legitur enim in editis libris c. xii. 9. inque non paucis manufcriptis c. xxviii. 28.

Hæc quidem duo loca non multum momenti factura erant: poteft enim c. xxviii. 28. communis lectio אדני verior effe; ac qui codicum Hebraicorum erroribus confuevit, fufpicari poffit, etiam c. xii. 9. idem אדני reponendum. Sed de hiftorica parte libri magis laborabimus: ita tamen, ut omnis vis argumenti ab illa quæftione pendeat: utrum fuerit nomen יהוה ante Mofen miffum prorfus inauditum, an Mofis tempore cœperint fenfim aliqui Deum ita vocare, antequam nomen novum Deus fuo oraculo probaret, faceretque fibi proprium. Qua de quæftione cum pene impudens fit, aliquid certi ftatuere velle, totum quoque argumentum ex illa fufpenfum ruit.

4) Minoris faciendum quartum argumentum: malum genium in hoc libro proprie, et cum He articulari, vocari Satanam, השטן, c. i. 6. quod nomen in antiquioribus fcriptis nunquam ita ponatur, fed appellative adverfarium denotet. —Audax profecto et periculofum eft, in tanta librorum Hebraicorum paucitate definire de fingulis vocabulis, quo quæque eorum fignificatio tempore orta fit: atque, ut de hoc ipfo nomine loquar, facile accidere potuit, ut ab omni jam retro ætate fpiritus rebellis Hebræis Satanas diceretur, et tamen nufpiam in libris facris hoc

ejus nomen occurreret, quia rara ac pene nulla in illis dæmonum rebellium mentio. Sed nec hac antiquitatis defenſione opus Jobo: ex his enim, quæ de argumento libri agam, apparebit, appellative illud pro accuſatore poni, quam perſonam aliquis ex angelis, malevolus certe, ſuſtinere fingatur; atque hoc ipſo forte ex loco recentiores Judæos adcuſatori generis humani nomen SATAN duxiſſe.

5) Quod ultimo loco pono argumentum, honoratiore non erat dignum, licet Heatho perquam grave videatur. *Plurimi*[n], inquit, *Chaldaiſmi, Syriaſmi, Arabiſmi, indicio ſunt, multo recentiorem librum reliquis Hebraicis eſſe: quo enim propior a fonte lingua, eo manat purior, atque a dialectis reliquis ſejunctior, quibus ſenſim demum mutuis gentium commerciis adſueſcit. Hunc vero librum varias dialectos delibare, omnes agnoſcunt interpretes.* Et deinde[o]: *Chaldaiſmi, Syriaſmi, Arabiſmi, argumento ſunt, recentem librum eſſe, ac ſequiore jam minuſque pura linguæ Hebraicæ ætate ſcriptum.* Vera diceret, ſi hæ linguæ diverſæ: at cum una tantummodo lingua iſtæ dialecti ſint, ex una antiquiore Orientis dialecto paulisper mutatæ, ſequitur, ut quo antiquiora earum monumenta conſulamus, eo futuræ ſint ſimiliores. Quod ut Heatho exemplo illuſtrem: Gallica lingua hodierna, origine ſua Latina, et Anglica, ſunt diverſæ, unde fiet, ut quo antiquiores conſulat libros Anglicos, eo pauciora habeat Gallica, maxime ante Guiliel-

[n] P. ix. [o] P. xi.

mum Conqueſtorem; at ſecus eveniet, ſi cum Germanica lingua ſuam contulerit; quo antiquiora enim ſcripta evolvet, eo ſimiliora erunt Germanicæ linguæ, etiam ex noſtra non raro explicanda et intelligenda. Idemque et nobis accidere ſolet, qui quo antiquiores verſamus reliquias Germanicas, eo frequentius incidimus in aliquid nobis deſuetudine obliteratum, quod apud Suecos adhuc, Danos, Anglos viget. Sunt, fateor, aliqui Chaldaiſmi, antiquis Hebræorum libris ignoti, quorum non ſingula exempla, ſed uſus frequentior, ætatem deteriorem libri Hebraici indicat, ut Schin præfixum: ſed horum nihil in libro Jobi occurrit [p], nec is plus lucis Syriæ aut Chaldææ, quam Arabiæ debet. Arabicæ autem linguæ ſimilitudo non eſt deterioris Hebraiſmi indicium; nec enim, ut Chaldæis, ita Arabibus ſervire ſub Nabochodonoſare coacti Hebræi, ſed potius eorum a prima inde Abrahami ſtirpe germani fratres ſunt.

Quidquid in libro Jobi peregrinum viſum eſt Heatho, eo redit: poema et antiquiſſimum, et ipſa ſublimitate inſolentius, multa habet ἅπαξ λεγόμενα, ac verborum ſignificationes rariores: hæc ergo ex reliquis dialectis illuſtrant interpretes, non quaſi illis priva fuerint, ſed quod plus habemus Arabicorum, Syriacorum, Chaldaicorum librorum, quam Hebraicorum, illaſ-

[p] Magnopere fallitur Heathus ad c. xv. 30, arbitratus, ש in שלהבת præfixum hoc Chaldaizans eſſe ex אשר ortum. Eſt potius characteriſticum conjugationis *Schaphel*, qua Syri in verbis multum utuntur, Hebræi in verbis rarius aut nunquam, at frequenter in nominibus ab illa conjugatione derivatis.

que linguas Hebraica longe perfectius callere possumus, maxime Arabicam. Hoc qui videt ab interpretibus fieri, nec ipse eas linguas perfectius didicit, facile suspicari incipit, Arabismos aut Syriasmos esse, si quid purissimi Hebraismi, sed rarius in exigua bibliotheca Hebraica obvii, ex Syriaca aut Arabica lingua lucem accipit.

Jam ad argumentum et seriem totius disputationis pergo. Tractatur, ut jam aliquoties dixi, intricata illa et difficilis quæstio: Qui sub imperio justissimi et benignissimi numinis accidere possit, ut boni miseriis excrucientur, non mediocribus illis, atque a quibus pauci mortalium immunes, sed exquisitissimis et diuturnis. Qui nodus, vel sic satis implicatus, multo fit adstrictior, si hæ miseriæ ad finem usque vitæ durent, neque ante obitum beati fiant, qui meliore sorte digni videntur. Atrocissimum enim spectaculum, diu cruciata, et ultimo adhuc halitu gemens, innocentia ac pietas. Hic ergo tres amici Jobi, sed nunc adversarii, negant fieri, quod cur fiat non intelligunt; certe non usque ad vitæ exitum in equuleo isto manere bonos, sed majorem ante obitum certo sperare felicitatem posse disputant; quod si cui secus accidat, occulto illum crimine constrictum teneri. Jobus contra, quem orthodoxe disputâsse pronuntiat litis arbiter Deus, experientiam testem citans, tenet, et malis in hac vita bene, et bonis male esse posse; nec raro contingere, ut utrumque ad ultimum usque halitum duret; nulla ob pietatem aut impietatem habita certa et constante ratione, felicitatem hujus vitæ et miserias tanquam jactu et sorte dispertiri Deum: molestissimum id quidem bonis, sibi maxime, qui tam ar-

tifici et diro impoſitus equuleo ſit; nec tamen cum juſtitiæ divinæ rationibus pugnare: alteram enim vitam eſſe, bonorum felicitati, malorumque ſuppliciis deſtinatam. Hæc ille vere, ſed non ſine verborum immodeſtia. Habet ergo illam nodi ſolutionem, quam Ratio in Halleriano carmine,

> Nach deinen Raupenſtand, und einen Tropfen Zeit,
> Den nicht zum leztcn Ziel, die nicht zur Ewigkeit,

bonam, veram, ſed nondum perfectam. Nec enim expedit, cur hunc, quem beatiſſimum aliquando eſſe jubebit, nec alium, cur Jobum, non Eliphazum, iſto equuleo dilacerari, doloribus noſtris intactus, lacrimis non adflens permittat Deus? Et tamen meliorem mortalibus, non totam rerum univerſitatem cogitatione complexis, ſua negavit imbecillitas. Quare qui Jobo tribuſque amicis novus ſupervenit diſputator, diſſimillimus reliquorum, damnans eos, Jobo æquus, confidentiæ plenus, ac tanta pollicitus, ut optime de eo ſperare lectores ſoleant, Jobum etiam ab ore ſuo pendulum tenens: nihil tamen adfert, quod ſatisfaciat, ac ne quidem, quod Jobi ſolutioni ſit æquiparandum. Eo enim redit finis dictorum, unde evecta erat primi diſputatoris oratio, bonis male eſſe poſſe in hujus vitæ aliqua parte, ſed ita, ut ante obitum major illis redeat felicitas, cujus ſenſus recordatione priſtini doloris augeatur.

Hic vero mihi in mentem venit Horatiani illius, quod Deum intereſſe ſcenæ vetat

> —— niſi dignus vindice nodus
> Inciderit.

Intervenit Deus, nube tonante vectus, ſed nodum non ſolvit, ac ne id quidem indicat, quod ex lectione

hiſtoriæ omnes nôſſe neceſſe erat: audaciam, imbecillitatem, ſtuporem, Jobo exprobrat, vetatque decretis ſuis obſtrepere, quorum rationem perſpicere nequeat. Ita ſine ſolutione nodi finitur diſputatio.

Eſt hoc quodammodo moleſtum, atque etiam indecorum videri lectoribus poſſit. Vellet enim lector, Elihuum bonum virum, qui tanta cum fiducia prodierat, aliquid deciſionis adferre: deque eo tam non ſperant aliqui interpretes, ſed confidunt, ut valde dicta ejus laudent, licet qua parte laudanda ſint, et quid tandem veri ſuperioribus intacti contineant, haud in promtu habeant dicere. At Deo ipſo ex nubibus reſpondente, quis non limpida exſpectat, Jobi etiam dictis meliora et ſolidiora? quis non immortalem illam vitam, quam recte Jobus præmiis pœniſque deſtinabat, clariſſimis verbis commemoratum, eaque proditum iri arcana, quæ hiſtoricus jam capite i. et ii. evulgârat? Quis non præter hæc aliqua toti libro reliquo ignorata, litemque diremturo ſervata Deo? At quis non magna de ſpe dejectus indignatur ac pene iraſcitur, nihil horum in oratione Dei inveniens, ſed deſcriptiones equi, crocodili, elephantis, ac neſcio quarum præterea beluarum? Verum hoc ipſo, quod carpet imperitus fabulæ æſtimator, maximum ejus continetur artificium, pendetque ex eo totius ſcenæ decorum. Eo quippe pertinet, ut omnino nihil earum rationum aſſequi poſſimus, propter quas miſeros eſſe pios neceſſe eſt; nec illas a nobis inveſtigari, nec ipſe prodere mortalibus velit Deus, jubens nos ſuæ bonitati et ſapientiæ confidere. Optimum eſt, quod eſt, mundus egregie informatus, licet tu, quomodo aut cur id optimum ſit,

non perſpicias, vermis nuci incluſus, qui ipſi mundus; nec ultra proſpiciens, præteritorum immemor, ignarus futuri.

Ut autem in uno illuſtri exemplo intelligeremus, quam juſtæ eſſe poſſint, quanta plenæ benevolentia, et tamen quam nobis reconditæ rationes, ob quas Deus miſerias bonorum decernit, evulgat hiſtoricus, quæ in diſputando celat Deus. Scena fingitur auguſta, Deus in curia ſedens, potentibuſque ab utraque parte ſtipatus cœlicolis, jus dicturus. Senatores, ſeu magnates regni, angeli. Comparet etiam, non Satanæ nomine proprio ita dictus, (cum eo enim, niſi aliquam aptam perſonam ſuſtineat, Deum ſermones miſcere, ac curioſius eum tanquam veteris familiaritatis memorem percontari, ita indignum, ut hebetem oporteat eſſe, qui id non ægre ſerat) ſed adcuſator, publice conſtitutus, qui quia unus eſt, cum He articuli השטן, ὁ κατήγορος, dicitur. Petita fictio ex republica ſapienter informata, in qua legitimus aliquis conſtitui delator ſolet, legum cuſtos, criminumque occultorum inveſtigator, invidioſus quidem, ſed tamen, quia leges hoc ei officium demandârunt, honeſtus. Hanc igitur perſonam unus ex angelis ſuſtinet, non ille certe mortalium generi benevolus, quod et falſo aliquando crimine defert, ubique ſuſpicioſus, nec ſuppliciorum ſegnis exſequutor: ut veri diſſimile neutiquam ſit, ei ipſi angelo immiti hanc perſonam tribui, cui deinde nomen Satanæ, fortaſſis ex hac fabula ductum, proprium habuit. Sed tamen jam intelligitur, quomodo talis illo in cœtu perſona comparere non indecore, atque a Deo interrogari de ſtatu terrarum orbis poſſit. Nempe pro muneris ſui ratione ſolemni aliquo curiæ die præſentem ultro per-

contatur Deus, ex qua vaſti regni veniat regione? Reſpondet: ex orbe terrarum! Delaturus aliquem ex hominum genere videbatur: Deus autem, pro more benevoli regis, non delectati civium criminibus, interrogat: Jobumne etiam obſervârit, mortalium optimum? certus, viro tam egregio crimen intentari nullum poſſe. Obmuteſcit hactenus adcuſator, ut nullum ab eo ſcelus commiſſum proferat: ad ſuum tamen ingenium, diuturna conſuetudine exercitum, rediens, omnem in Jobo totius generis humani pietatem in ſuſpicionem adducit: hunc enim unum, quem Deus et cœlicolæ putabant, bonum virum, non alia fortaſſis cauſſa religioſum eſſe, quam quod præſentiſſimam ei Deus mercedem præſtet, ſummam hujus vitæ felicitatem. Hunc vindicaturus Deus, primo omnia ejus bona et familiam, deinde etiam corpus, adcuſatori permittit: bis enim ea ſcena agitur. Bona ergo omnia Jobi aut pereunt aut diripiuntur, filii male moriuntur, ſed

Impavidum feriunt ruinæ:

deinde et ipſius corpus ulcere inflammatur peſſimo, de quo mox plura. Vitæ parci jubet Deus, deſtinatum habens, in hac etiam vita Jobum remunerari. Hæc omnia ſi ſciviſſet Jobus, ſi nôſſet, quantum a Deo propoſitus exemplum eſſet, ſuoque et omnis humanæ pietatis honori his ipſis vexationibus conſuli: ingemuiſſet quidem ſub malis, ſed moderatius tuliſſet, ea ſibi a Deo immitti. Quod ſi, ut ſupra ſuſpicatus ſum, Iſraelitarum infortunia perſona Jobi proponuntur, figura demta, hanc habebis ſententiam: *nimis beatas fuiſſe res Iſraelitarum, aliiſque cognatis gentibus nimis invidendas, ſuſpicantibus, Deum adfectu*

potius quam consilio huic genti favere, eamque mercenario animo non pietate vera unicum Deum colere, a cujus cultu reliquæ gentes hanc maxime ob caussam desciscebant, quod hujus vitæ felicitatem a minoribus quibusdam diis, terræ præsidibus, tribui arbitrarentur. Quam suspicionem ut refelleret Deus, ostenderetque, habere se cultores non mercedis caducæ cupiditate, sed ratione et officio, et spe melioris mercedis ductos, permisisse, ut gravissima tyrannide vexarentur Israelitæ. Hæc tamen, quæ de Israelitis suspicor, si lectoribus non probantur, demi possunt, nihil inde decedet scenæ decori aut veritati, si universam modo tractare quæstionem credatur.

At multum sane decederet toti fictioni, morbo Jobi ignorato. *Ulcus malum* (שחין רע) vocat historicus, c. ii. 7. quod nomen morbi alicujus Ægypto proprii fuisse, ex Deuteron. xxviii. 27. intelligitur: quod cogitans, atque memor, *totius corporis ulcus* veteribus medicis elephantiasin dici, eamque Ægypto propriam existimatam[q], quis negabit Origeni, at vero auctori non pœnitendo, ubi de Ægyptiis rebus disserit, elephantiasi Jobum laborâsse? Elephantiasin autem dico, non cui recentiores in Europa medici hoc nomen dederunt, sed veram Ægyptiam, a veteribus medicis, Aretæo Cappadoce, Cælio Aureliano Siccensi, et Paulo Æginета, descriptam, recentiorum, qui in illas partes profecti sunt, *tumentes pedes Indicos*[r]. Nec forte unquam hac de re dubitatum

[q] *Est elephas morbus, qui circum flumina Nili*
Nascitur Ægypto in media, nec præterea usquam.

Sic Lucretius. Plinius: *Ægypti peculiare hoc malum.*

[r] Germanice: Die dicken Indianischen Fusse.

fuiſſet, ſi, qui ſacras literas tractârunt, cognitam habuiſſent elephantiaſis hiſtoriam, medicique etiam inſigniores, ut Bartholinus, non de hac quam in Europa dicimus, elephantiaſi, diverſæ fortaſſis naturæ, multo certe mitiore morbo, cogitâſſent. Sed hæc confirmandi non hic locus eſt, poſtquam de hoc morbo copioſius in *Jobo Ægyptio* §. iv—xii. egi, cum veterum medicorum ac recentiorum in Ægyptum Indiamque profectorum commentariis ſolicite conferens, quæ ex c. ii. 7. vii 4—6. xiii. 14, 29. xvi. 14—16, 22. xvii. 1. xviii. 13. xix. 17, 19, 20, 26. xxiii. 17. xxx. 10, 17—19, 27—30. de morbo Jobi colligi poſſunt. Fuit autem elephantiaſis, turpiſſimus, dolorificus, moleſtiſſimus, ac deteſtabilis morbus, immedicabilis ex veterum ſententia, ut vitæ pertæſi nil præter mortem ſperare aut optare elephantiaci dicantur; deinde idem impatientes et iracundos reddere, atque pene rabiem aliquam adferre ſolet omnia deſperantibus, ægre omnia ferentibus. Quod niſi eſſet, nec decuiſſet virum pium tanta loquentem intemperantia fingere, ac tam ægre ferentem candidas Eliphazi conſolationes: nec adpareret, quid in dictis ab Eliphazo c. iv. v. tantopere reprehendendum ſit, ut ſolatia ſputo corrupto ſimilia ſe devorare poſſe Jobus neget, exque lenimine malis Jobi amiciſſime allatis derepente acerrima exardeſceret diſputatio.

Series diſputationis hæc eſt

C. iii. Rupto ſilentio Jobus diem ſuum natalem deteſtatur, id vero eſt, optat, ſe non natum eſſe: ita tamen, ut vocem in Deum injuriam non mittat. Noſtrorum poetarum aliquis ſi ſimilem ſcenam informâſſet, forte non imprecationes legeremus, Orientale

quid ſonantes[s], ſed lugubre ac ſublime philoſophema, querelaſque eo redeuntes, melius nobiſcum actum fore, ſi nati nunquam eſſemus. Auderet forte poeta illam nihili antiquæque noctis tranquillitatem tanquam jure ſuo a Deo repetere, quam ipſi non volenti nec conſcio dies natalis eripuit. Eſt hac parte Jobus in initio minus philoſophus, adfectu et figuris atrocior, erga Deum tamen adhuc modeſtior.

C. iv. v. Eliphazus, injuria ab interpretibus reprehenſus, magna Jobum verecundia, pene ut patrem filius, ſolari audet, eadem adferens, quibus et noſtri plerumque eccleſiaſtæ, partim pie magis quam vere, miſerorum dolorem leniunt. Miratur, Jobum, alios erigere et confirmare ſolitum, jam ſolatii pene egere: impervias nobis eſſe monet providentiæ divinæ rationes: caſtigare Deum bonos, ſed ad utilitatem; nec eos diu miſeros fore. Eximium vero in piis Dei cultoribus Jobo locum tribuit, certa illum ſpe majoris felicitatis poſt has miſerias demulcens. Ita pene vates prædicit, quod deinde evenit, licet non a Deo edoctus futura, ſed ex ſuo de illis theologiæ ſyſtemate bene ominatus. Prophetam tamen etiam agnoſcas ex oraculo, quod ſibi aliquando redditum narrat, cujus hæc ſumma, vera, et divinæ deciſioni litis conſona: cum Deo neminem juſte litigare, ac ne angelos quidem gubernaculis mundi aptos eſſe, multo minus ergo mortales ephemeros de ſapientia aut juſtitia conſiliorum Dei arbitrari ſine inſania poſſe. Hæc tam ad modum homileticarum et clinicarum conſolationum ſunt, ut plerique interpretes, non intelligentes, quid in illis reprehendi poſſit, verba Eliphazi de-

[s] Jeremiæ hæc figura frequentior.

torqueant ad obſcuras de Jobi virtute ac pietate ſuſpiciones.

Vidit vero c. vi. vii, quod illi non aſſequebantur, melior theologus ac philoſophus, ipſoque oculatior dolore Jobus. Sperare alteram ſortem pectus debet bene præparatum, quando illa contingere ſine naturæ perturbatione poteſt, non portenta, non inſanabilium morborum miraculoſam medicinam, Deumque eas naturæ leges migrantem, quas ipſe ſibi ſtatuit. Sputo ergo corrupto[t] ſimilia a ſe deglutiri poſſe negat ſolatia: nec intolerabili malorum magnitudini aliam relinqui ſpem, præter citam mortem; quam ſi decernat Deus, exſultaturum ſe gaudio certaque ſpe futuræ reſurrectionis; ſic enim נחמה ex Syriaſmo verto[u]. Impatientius etiam exagitat amicum, explorata et multum meditata pollicitum[x], cum tamen omnino quid inveſtigârit non appareat, niſi forte, quod verba captârit deſperantis[y]. Nec tamen diſſimulat, pluſculum ſe quam par erat dixiſſe, æquum putans, ut ab utraque parte nonnihil recedatur, quod quidem neutri turpe ſit futurum[z]. His peroratis ad

[t] vi. 6. Confer حلم *corrumpi.*

[u] Vide Beurtheilung der Mittel, die Hebr. Sprache zu erklaren. p. 47, 48.

[x] c. v. 27. *Ecce hoc ſcrutati ſumus: rectum eſt! Tu vero audi illud, et apud animum tuum depone.*

[y] c. vi. 25, 26.

> Quam morbida ſunt verba orthodoxa!
> Et quid explorat veſtra inveſtigatio?
> Verbane ſcrutari ſtatuiſtis,
> Cum in ventum abeant voces deſperantis?

הוכיח proprie eſt, *effodere altius*; idem quod c. v. 27. חקר.

[z] vi. 29. *Revertimini! ne hoc putetur peccatum! Redibo et ego: verſabitur in eo juſtitia mea.*

Deum convertit orationem; peccâsse se, pœnasque promeritum fatetur, sed libertatem sibi innoxiæ vocis expetit, deplorat miserias, queritur, sibi Deum non ignoscere, atque omnino tam solicite parvulorum mortalium delictis attendere, quæ despicere debeat.

C. viii. Nihil ejus verecundiæ, quam in Eliphazo laudâram, præ se ferens Bildadus, acriter in Jobum invehitur, quem Dei justitiam negare putat. Opponit ei tralatitia veterum carmina: filios ejus justas scelerum pœnas dedisse clamat: de Jobo ipso quid statuat incertum habens.

Cap. ix. x. Impatientior jam contradictione factus Jobus, id quidem non concedit solum, sed et inculcat gravissime, cum Deo sanum disputare neminem. Hunc enim pro infinita sua sapientia perspicere, quæ nos fugiant, universa: tantum etiam abesse, ut sibi videatur justus, ut hanc unam vocem, *justus sum, injuriam mihi facit Deus*, sibi damnando sufficere arbitretur. At idem nonnunquam recte dictorum immemor, dum conqueri flebiliter vult, injurius fit in Deum, quem ridere dolores mortalium ait, nisi satis diuturni sint, aliquando etiam non prorsus caussæ justitiam desperans, si sublato metu æquo disputare cum Deo jure possit. Quas contradictiones qui tollere laborant, prodigi hic sententiarum ac distinctionum systematis theologici, non cogitant, verba se legere desperantis, quæ nimis sana fingere, id vero inepti fuisset poetæ. Cæterum palmarium ac verum dogma claris et perspicuis in hac oratione verbis proditur[a]: bonos non minus quam malos a Deo diris cruciati-

[a] ix. 22.

bus permitti, qui nisi a Deo sint, quærit Jobus, unde esse queant?

C. xi. Proximæ in disputando vices Sophari sunt, qui parum amice, ac pene contemtim, loquacitatem Jobo et inanem verborum multitudinem exprobrat, qua sola sapientiores vincere audeat. Laudat et idem infinitam Dei sapientiam, sed alio rem deducit, quam quo Jobus voluerat. Omniscium enim Deum clandestina nôsse putat Jobi, hypocritæ, peccata, eorumque severas pœnas exigere, quibus admoniti alii sapere discant. Jobo, si priscorum eum scelerum pœniteat, eaque deprecetur, spem ostendit, et restituendæ in hac vita felicitatis, et beatioris in insulis mortuorum Auroræ[b]. Hic ergo primus, fervore disputandi abreptus, contradicentem impatientius Jobum clandestini sceleris reum agere, nec hujus modo sed et futuræ vitæ supplicia tanquam criminibus ejus debita ei decernere.

C. xii. xiii. xiv. Verissimam doctrinam, de felicitate hujus vitæ non solis bonis concessa, sed promiscue malis etiam distributa, quibus vis et dextera pro numine est, copiosius, quam hactenus fecerat, pandit Jobus. Hanc ipsas nos bestias docere, ex quibus quæ crudeles et tanquam injustæ sunt, mansuetiorum carnibus vesci natura instituit, hanc non novam esse nec a se inventam, sed antiquorum carminibus celebrari. Quæ quidem ita dicuntur, ut videatur amicos pungere velle, qui felices et beati ei injuriam maximam faciebant. In repetitis de miseriis hujus vitæ querelis verborum magna nonnunquam intemperantia, ita tamen, ut innocens sibi Jo-

[b] Vide Epim. ad Prælect. IX. p. 88.

bus pœnasque Dei non promeritus neutiquam videatur, id unum lamentans, tam misero et fluxo mortalium generi tam severum intendere judicem.

C. xv. Reponit Eliphazus, multo quam antea acrior, ventosa Jobo verba et intolerabilem fastum exprobrans [c], seque temni, ac divina quæ attulerat doloris lenimina sperni, ægre ferens [d]; servans tamen personam, quæ initio instituta erat, reliquisque disputantibus non parum verecundior, ut magni eum facere Jobum appareat. Namque nec sapientis nomen laudemque ab Jobo abjudicat, (v. 2.) et verbis illum uti ait, quibus non consuesset, et miratur, etiam Jobum, quippe a quo meliora sperâsset omnia, impie philosophari (v. 3, 4.) et veretur quodammodo sententiam contra Jobum ferre, unde memor eorum, quæ Jobus c. ix. 20. dixerat, *os tuum*, inquit, *te damnabit, non ego*; *tuaque contra te labia loquentur.* (v. 6.) Et hoc modestum, quod in carminibus Arabum citandis habet, v. 17, 18.

Indicabo tibi, (audi me)
Id quod vidi narrabo,
Quod philosophi profitentur,
Nec patribus dissimulant suis:

ut patris quodammodo loco habere Jobum videatur, et reverenter excusare, si quid ei minus placens promi necesse sit. Sunt tamen aliqua in oratione Eliphazi, sed obscuriuscula, quibus suspiciones in Jobum prodi videntur; ut, quæ ex Arabum carminibus de malo promit in rebus adversis desperante, v. 22, 23. Cæ-

[c] v. 2, 7, 8, 9, 10.

[d] v. 10, 11. Confer vero quæ Jobus in Eliphazum dixerat c. vi. 6.

terum in magno errore verſatur, Jobi theologiam, demtis pœnis præmiiſque, omnem evertere pietatem et virtutem, v. 4. unde, hanc vitam a futura non diſtinguens, neceſſarium putat, tam impio contradicere dogmati. Ut autem Jobus majorum auctoritate ac carminibus pugnArat, ita viciſſim Eliphazus perpulchrum, et, quis neget? veriſſimum citat poema veterum Joktanidarum, philoſophiæ laude inclytorum. Solent poetæ non philoſophorum ἀκριβεία ac ſolicitudine ſententias efferre, nec vereri, ne aliquam a lege exceptionem negligant, ſed imaginem cœptam vivis abſolvere coloribus: unde fortunæ cœcitatem ac felix crimen canentes, ita agunt, ac ſi ſolus adverſa et proſpera talorum conjectus moderetur; at iidem providi numinis judiciis malorumque pœnis ſi quando attendunt animum, hæc etiam ſola canunt, quæ canenda ſuſceperunt. Non mirari ergo debebimus carminum contradictiones, quæ non univerſales leges explicant, ſed tanquam mores providentiæ varios.

C. xvi. xvii. Nihil ad rem facere, nec novi quid aut reconditi continere ventoſa Eliphazi verba, reſpondet Jobus, acerbe, ut ſolet, lamentans: et ſe loqui poſſe, ſi loquendum omnino ſit: innocentem eſſe a proæreticis, quorum arguatur, clandeſtiniſque criminibus, ejuſque rei teſtem ipſum a ſe Deum excitari: nec pietatem ideo everti, quod innocens piuſque miſer ſit. Hoc quidem v. 8, 9. ita:

> Stupebunt boni propter hoc,
> Et innocentes profanis iraſcentur.
> Sed juſtus tenax erit viæ ſuæ,
> Puruſque manibus ſe confirmabit.

i. e. tale quid videntes juſti, mirabuntur quidem, et

irafcentur malorum felicitati, (vide Pfalmos, xxxvii. xxxix. lxxiii.) nec tamen ideo a recto tramite declinabunt.

C. xviii. Quæ fequitur Bildadi oratio, præter iracundas voces, Jobique, ut fine dubio impii, adcufationes, vix quidquam habet. Pœnæ malorum defcribuntur, iis verbis, ut Jobi infelicis vivam exprimi imaginem manifeftum.

C. xix. Ægre fert Jobus, longa fe et inutili difputatione ab amicis fatigari, qui recte tacere tandem aliquando poffent, quod criminum, quorum fufpicione Jobum urgebant, pœnas ipfe daturus effet, non illi. Ne tamen aut omnem fua philofophia tollere pietatem ac virtutem [e], aut impiorum more, ut innuerat Eliphazus [f], defperare videatur, aureis illis verbis, tanto dignis exordio, quid fperet, profitetur:

> Utinam fcribantur verba mea!
> In libro utinam exarentur!
> Stilo utinam ferreo [g]
> Æternum duratura rupi incidantur.
> Ego enim novi, quod Goël [h] meus vivat,
> Ultimufque pro pulvere fit furrecturus.

[e] xv. 4.

[f] xv. 22. *non credit reditum ex tenebris, deftinatus gladio.* — *Certus eft ipfi dies tenebrarum.*

[g] Omitto in vertendo ועפרת, *et plumbi*, quia non intelligo. In plumbo fcribi literæ duraturæ confueverant, non ftilo plumbeo, quod metallum ob mollitiem ftilo ineptum.

[h] Retinui Hebraicum juris verbum, quod Latina lingua non perfecte reddi poteft. Goël cognatione jus habebat vindiciarum, fi quis ex ejus cognatis in alienam veniffet poteftatem. Deus ergo, animis humanis, ut videtur, cognatus, ipfum aliquando pulverem a fepulchro repetiturus fiftitur.

Alia erit cutis mea, hæc laceratio [i]:
Exque meo corpore videbo Deum,
Quem ego videbo mihi,
Oculi ſpectabunt mei, non peregrini.
Deſiderio mihi tabeſcunt viſcera!
Vos enim dicitis, perſequemur illum,
Et tamen radix religionis in me inventa.

Quæ viri ſancti verba qui non de alia poſt mortem vita, ſed de reddenda hujus vitæ felicitate explicant, totum impediunt quæſtionis filum, in cujus jam ſumma, ſi eos audias, Jobus ſibi contradicit, palinodiam canens, qua una audita omnes conticeſcere diſputationes potuiſſent.

C. xx. Adfectus irarumque quam placidæ et ſapientis philoſophiæ plenior Sopharus ſæpe dictam de malis non diu felicibus ſententiam recoquit, nec poſt orationem viri ſuperiorem, c. xi. narratam, obſcurum, in Jobum iſta dici. Vaga hæc et inaudito pene Jobo late errans diſputandi ratio: cujus noviſſimam confeſſionem hoc unum ſpectat, quod et futuræ vitæ miſerias Jobi ſimilibus minatur [k], eamque illi ſpem eripit, qua una tantarum acerbitatum ſenſum deliniverat.

C. xxi. Quæ ſequitur Jobi oratio, tam perſpicue ſententiam dicit quotidiana comprobatam experientia, ut valde fervidos eſſe diſputatores oportuerit, quibus

[i] Ex conſuetis explicationibus ſatisfaciente nulla, legere vocales auſus ſum, וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפָה זֹּאת. Verbum נקף dilacerationem et diſtrictionem cutis indicare, ex Arabiſmo docuit Schultenſius. Senſus verborum: *hæc mea cutis, mera jam dilaceratio* (qualis eſſe in elephantiaſi ſolet) *alia tunc nova fiet.*

[k] v. 11, 17, 23.

ne ſic quidem audiendus Jobus videbatur. Præfatus, nullum ſe aliud ſolatium petere, quam ut ſilentio audiatur, reliquorum amicis officiorum gratiam facere, diverſam eſſe docet providentiæ divinæ rationem, neque nimia philoſophandi ſimplicitate ad unam revocari perpetuam legem poſſe. Eſſe malos, alios, quibus omnia ad vitæ uſque exitum ex voto contingant (v. 7—15, 29—33.) alios, quos puniendos, inque exempli loco proponendos, Deus deſtinet. (v. 16—21.) Stultum eſſe, Deum docere, quomodo judicare debeat v. 22. optimum et ſapientiſſimum habendum, quod ille ſtatuat. Nec ita metum numinis ne in hac quidem vita tolli: felicitatem enim malorum non ab ipſis pendere, ſed totam in poteſtate Dei eſſe; incerto, quem punire ante mortem velit, quem ultra mortem differre.

C. xxii. Evicta tandem iris et altercationibus verecundia, ad eaſdem cum reliquis amicis adcuſationes Jobi deſcendit Eliphazus. Suſpiciones omnes de eo, quod committi a Jobo potuerat, in crimina vertit, magnaque illum aſſeverantia impietatis omnis et injuſtitiæ reum peragit: his denique accenſet irriſoribus, qui juſtitiam rerumque humanarum curam a Deo omnem abjudicant. Addit exhortationes ad reſipiſcendum, qua conditione meliorem illi ſortem promittit.

C. xxiii. xxiv. Cum Deo diſputare Jobus optat, quem multo ſperat fore æquiorem, quam amicos expertus erat; atque ab illo doceri, cur felices eſſe malos patiatur. Subnectit idem ſupplicia malorum, poſt mortem certa; omnemque ita ſuſpicionem negatæ Dei juſtitiæ refellit. Juſtum eſſe Deum credit, ſed judicia non ſemper in hac mortalium vita exercere.

C. xxv. Bildadus præter breviculam comparationem infiniti Dei cum minutis et inquinatis mortalibus, nihil reponit: incertum quo fine, utrum ut deterreat Jobum a disputando cum Deo, an ut metu tanti numinis exprimat illi confessionem occultorum, propter quæ puniatur, criminum. Hoc vero similius; quia una cum reliquis amicis caussa cecidit, judice Deo.

Cap. xxvi. Respondet Jobus; nihil a Bildado, quod ignorârit, solatii nihil allatum esse: Deique laudes copiosius ac sublimius canit, ut tanquam poeticum certamen inire cum adversario videatur.

C. xxvii. xxviii. Nemine porro contradicente, atque amicis, sive responsionum inopia, sive obstinatione Jobi ad silentium redactis, sive denique ejus precibus hoc dantibus, ut taceant, nova Jobus oratione suam de hujus vitæ miseriis et felicitate pandit philosophiam, verissimam illam, et in qua quod reprehendas vix invenies. Primo enim professus, defensionem vitæ integre actæ nunquam se abjecturum, caram sibi per omnem ætatem pietatem fuisse, cujus laude exsui nolit, qui virtutem et pietatem non spernat: explicat, quæ sint in summo felicitatis apice metuenda impiorum tormina: qua ratione efficit, ut pietatis incitamenta, metusque scelerum, superiore disputatione non sustulerit. Florent illi, prosperis omnibus a Deo cumulantur, sed conscientiæ agitari furiis, uno destituuntur voluptatum omnium condimento, lenimine adversorum, spe[1], certum habentes, precibus suis Deum non attendere. Nempe,

Distrĭctus ensis cui super impia

[1] xxvii. 8, 9.

Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem.

Fruantur illi, ut ſæpe accidit, ad ultimum uſque halitum divitiis ſuis ac voluptatibus; repentina etiam et dolorum experte morte opprimantur: non ideo felices credi debent. Per totam enim vitam læto aliquo decepti ſomnio, vix tandem inſtante morte conniventes aperiunt oculos[m], ſeque quales ſint, et quid ipſis exſpectandum, vident, cum exſpirant. Tunc vero juſtitiæ et irarum divinarum tempus: tunc denſo agmine ſupplicia ingruunt, formis in hoc orbe ignotis, quo gravius percellant. Quid tamen in illo mortalibus inviſo oculis carcere agatur, ſuſpicari ex ſuppliciis poſſumus, quæ hoc etiam in orbe poſteros et memoriam ſceleratorum inſectantur. Providentiæ autem occulta ſcrutari conſilia, et cur huic bene ſit, illi male, expedire, nobis negatum. Habet animus humanus divini quid, nec quidquam in rerum natura tam reconditum, quin id aſſequi conetur audax Japeti genus: in viſcera etiam itum terræ, ac tanquam coarctati tenebrarum fines; quæque nec alte volantes in montium faſtigiis alites, nec ſpectra[n] detexerant, humo adfixum mortale genus mira arte inveſtigavit metalla. At ſapientiam, cum qua mundus a Deo gubernatur (providentiam dicunt theologi,) fugientem mortales viſus, inſequi nemo, nedum prehendere poteſt: auro, gemmiſque non parabilem. Eſt illa, famaque ejus vel apud inferos percrebuit,

[m] v. 19.

[n] c. xxviii. 8. בני שחץ *filii apparitionis*, a verbo شخص *apparuit*, e. g. Deus, ſpectrum &c.

ſed ipſa nemini viſa, niſi Deo, late cœlum terraſque omnes uno oculorum conjectu contemplanti. Hic cum mathematica ſolicitudine et certitudine naturæ leges conderet, vento futuro ponderaret aëra, aquam æſtimaret, fulminis jactus rationibus proſequeretur, hanc et invenit, ſtatuit, in fatorum libros retulit, multo ſublimiorem philoſophiam: mortalibuſque edixit, ut loco hujus ſapientiæ timorem habeant numinis, cui rerum omnium moderatori parentes omnia aſſequentur, quæ a nimis recondita philoſophia fruſtra petuntur.

C. xxix. xxx. xxxi. Finita diſputatione, poſt breve Jobus ſilentium priſcam felicitatem, mala præſentia, vitamque integre actam deſcribit: tandemque victoria de amicis, et recte factorum conſcientia, audacior quam par erat factus, Deum provocat, ut ſecum litiget, cauſſaſque exponat, cur tam crudeliter in ſe ſtatuatur. Quod ſi facere Deus dignetur, nil ſibi exoptatius honorificentiuſve contingere poſſe: ex ipſa enim Dei accuſatione intellectum iri, nullius ſe culpæ reum eſſe, a qua alii mortalium immunes ſint. Audaciores vero voces in tota diſputatione non miſit Jobus, dignas quæ hic legantur, quod et Elihuum ad oriendam de novo diſputationem ſolicitârunt, et Deus illas potiſſimum caſtigavit, reliqua irreprehenſa dimittens:

> Utinam haberem audientem me arbitrum:
> Ecce ſigillum meum! Cœleſte numen reſpondeat mihi,
> Scribatque ut adverſarius adcuſationem.
> Super humeros meos tollam illam,
> Alligabo illam mihi ut ornatum.

Greſſus meos numeratos indicabo,
Principis more accedam ad illum.

Intoleranda hæc humani aut doloris, aut philoſophiæ licentia. Oportet nos de vitæ noſtræ integritate certos eſſe: nec nego cum quibuſdam nimis religioſis ac timidis, jus aliquod nobis cum Deo intercedere, per quod illi non liceat in nos, quidquid injuriarum animo humano concipi poteſt. Quidquid enim Deus ſibi fieri nollet, ſi ſua a nobis penderet felicitas, id eum in nos ſtatuere, iniquum erit. Hac æqualitatis fictione omne quod natura docet jus continetur: nec verbum in diſputationibus de Deo refugiſſent aliqui, ſi, quid jus ſit, animo et cogitatione ſatis explicuiſſent. Certe ſi Deo in nos licent omnia, etiam ut nobis non conſentientibus, nec noſtra culpa, æternum miſeros nos fingat, negetque, quod optare debebamus, tranquillum illud et tutum otium, quod erat, antequam nati eſſemus; hæc ſi illi omnia in nos juſta, quæ nemo mortalium, niſi impietate et crudelitate amens, Deo meditaretur, ſi inverſo ordine rerum Dii eſſemus: concidat omne æternum jus ac fas neceſſe eſt. Nec vero aut impia aut inutilis philoſophiæ de jure divino diſputatio, ut, cum quæritur, quo illos jure naſci juſſerit, quibus melius erat, nunquam naſci, æternas ſuorum ſcelerum pœnas luituris, aut, ſintne hujus vitæ voluptates, ærumnis comparatæ, tantæ, ut huic uni vitæ juſtus nos Deus deſtinare potuerit? Verum oportet illas primo magna inſtitui verecundia, memoremque eſſe philoſophum, de maximi et optimi patris, cui nos et omnia noſtra debeamus, jure anquiri. Deinde quam inquinati peccatis ſimus, tertio quam ignari et ſtupidi meminiſſe

in diſputando debemus: nec Deum damnare, ubi nos de jure ejus cœcutimus. Denique univerſa quæſtio tractanda, poſſitne mala hujus vel futuræ vitæ cum juſtitia Dei conſiſtere, in qua aliquid videbit prudens ac cautus philoſophus: nunquam deſcendendum ad ſingula, nec ratio a Deo repetenda, cur illo felice hic miſer ſit, quippe quam reddere nemini, ſi vellet, poſſet, niſi totam rerum univerſitatem ſcientia complexo. Quid ergo jam errârit Jobus, αὐτοκατάκριτος ſi caput xxviii. relegas, manifeſtum.

C. xxxii. xxxiii. Nec tulit audacter dicta Elihu, novus diſputator ac muſteus, magna ſui fiducia diuturnum ſilentium rumpens. Iraſcitur Jobo, quod a Deo ſibi injuriam fieri queſtus erat, et triumviris, quod Jobum impietatis reum egerunt, nec quidquam ei ſolidi reſponderant: utriſque recte; ſed quam de ſe ſpem facit lectoribus, eam non implet. Difficilis quæſtionis hanc effert ſolutionem: non omnes impios quidem cenſendos, qui graviſſimis malis colluctentur, nec proæretici ab illis ſceleris pœnas exigi; ſed tamen ſerpere in illis, quantumvis piis, aliquod peccati latentis contagium, cujus ne ipſi quidem ſibi ſint conſcii. Id tam atroci medicina compeſcendum, ne ſenſim graſſante malo ad impietatem prolabatur bonus: caſtigationes has ſalutares eſſe, non pœnas, non ſupplicia. Pii autem cum ipſi, quid peccârint, ignorent, Deum interprete[o] angelo uſum per ſom-

[o] Non veriſimilis mihi eorum ſententia, qui angelum interpretem Meſſiam intelligunt, pro piis deprecantem, ſuamque pro illis juſtitiam profeſſum. *Indicare homini rectam* v. 23. niſi ſidiculis utaris, non eſt, pro homine juſtitiam ſuam apud Deum profiteri, imputandam homini, ſed, indicare homini, quid rectum ſit, et quam morum partem emendare debeat. Nec qui an-

num indicare homini, quid emendare debeat, cui monenti ſi pareat, humilique Deum prece adoret, ad priſtinam rediturum felicitatem.

Sunt in his bona et vera non pauca, quamquam forte, quæ de angelo interprete Dei habet, ex theologia decerpta nimis angelorum plena, qualis ſenſim cultui angelorum feneſtram aperuit. Nos quidem a ſolicita animorum noſtrorum exploratione ſperare ſolemus, quæ Elihu ab angelo. Verum poteſt aliquando Deus ita cum piis agere, ut Elihu fingit; ſed cum Jobo non ita egerat, teſte hiſtoria: non eum revocare ab impietate, ſed pietatis in eo honorem defendere volebat Deus. Hic ergo ipſe Elihuo tributus et artificioſe intextus libro error eo pertinet, ut omnino providentiæ divinæ rationes inveſtigare nequeamus, nec unam omnium maxime variam et compoſitam, gubernationem mundi, et mali permiſſionem, ad paucas aliquas leges, nobis cognitas, nimio ſimplicitatis ſtudio revocare debeamus. Manebat præterea alius error, Elihuo cum triumviris communis: piis non uſque ad vitæ exitum male eſſe poſſe; igiturque Jobo poſt hunc morbum novam juventam certo ſperandam eſſe. Oppugnârat eum tot veriſſimis diſputationibus Jobus, ut mirum ſit,

gelus dicitur unus ex millenis, ex reliquorum angelorum ordine tanquam Deus eximitur, ſed componitur illis, et licet præſtans in ordinem tamen redigitur. Doctrina quidem de Chriſto minus olim nota quam in luce evangelii fuit, unde nec temere loquentibus tribuenda, niſi certis indiciis conſtet, hæc ab illis myſteria et cognita fuiſſe, et promi. Atque etiam vereor, ne laboret decus totius fictionis, arcana hac et veriſſima doctrina, de qua Deus vocem non mittit, ab Elihu evulgata. In diſputatione, cui Deus intervenit, melius arcanorumque peritius nemo diſputare debet Deo.

Elihuum in re tam manifeſta adhuc cœcutire, miraculumque a Deo exſpectare, quod facere quidem poterat, ſed nec promiſerat piis, nec debebat. Sed nimia felicitatis hujus vitæ admiratio, animis mortalium non depellenda, antequam evangelium Chriſti, immortalitatem ubivis et vitam æternam inſonans, eccleſiam ad ſpem melioris felicitatis totam erexiſſet, docuiſſetque hæc caduca contemnere, hujus ſtuporis inque errando pertinaciæ cauſſa fuit.

C. xxxiv. Silentio auditus Elihu, jam valde ſua delectari oratione, novamque ordiri, verecundam quidem et amoris erga Jobum plenam, ſed parum aut rei aut veritatis habentem. Præmia pietatis a Jobo tolli putat: multa igitur de bonitate, æquitate, juſtitia Dei diſputat, a quæſtione, quæ agitabatur, alieniſſima.

C. xxxv. Poſt aliquod ſilentium noſtram pietatem non Deo utilem, ſed nobis, docet Elihu: cujus rei conſequens eſt, ut bonis præmia non debeat. Addit, miſeros, dum lamentantur, magnorum plerumque Dei beneficiorum oblivisci, quibus facile compenſari hujus vitæ miſerias exiſtimat.

C. xxxvi. xxxvii. Nova oratione effundit Elihu, quidquid vindiciarum Dei ſupereſſe putabat: juſtitiam ejus et magnitudinem prædicat, adverſorumque Jobo evenientium inde a verſu 8. capitis xxxvi. eandem reddit rationem, quam aliis verbis cap. xxxiii. reddiderat.

C. xxxviii. xxxix. Deus intervenit, immodeſtæ diſputationi finem facturus, non rationem redditurus conſiliorum ſuorum, quod licet hic facile factu fuiſſet, monendi tamen mortales, quæſtiones ejuſmodi plerumque et infinitas et ſtultas eſſe. Quidquid ergo

respondet, eo redit: orbi condendo, legibusque motus ac corporum statuendis non interfuisse Jobum naturæque pleraque artificia penitus ignorare: quæ cum longe facillima et expeditissima pars sit ejus sapientiæ, qua mundus regitur, stultum omnino esse, eum, qui hic cœcutiat adque omnes gressus titubet, de rebus multo obscurioribus ac difficilioribus disputare aut omnino a Deo doceri velle. Sunt enim infinitis modis implexi mundi moralis nexus, quos qui quodammodo perspicere cupit, eum et totam perspectam habere oportet corporum naturam, ex qua voluptatum ac dolorum magna pars pendet, et mathesin tanquam et scientiam magnitudinum horum ipsorum dolorum et voluptatum, ut mala bonis exacte comparare queat, et recessus nósse omnes animorum humanorum, momentaque eorum et mechanismum, tam obscurum, ut multa hic fortuito arbitrio contingere non ratione sufficiente multi etiam philosophi somniârint, nexum porro hominum omnium cum rebus universis, æternitatemque quam degent animi immortales, et in qua ex voluptate et dolore brevi hujus vitæ alia omnia efflorescent, infinita complecti cogitatione.

C. xl. xli. Resipiscentem Jobum, et quæstionum deprecatum audaciam, novo majestatis et potentiæ suæ terrore percellit Deus, quam ex historia naturali illustrat. Cum tali numine quis, nisi desipiens, tam inverecunda oratione, ut fecerat Jobus, disputet?

Finita disputatione Deus arbiter edicit, vera dixisse Jobum, quanquam immodeste et irreverenter; errâsse

triumviros: quodque ſperare nemo potuiſſet, non priſtinam ſolum ſed et majorem Jobo reſtituit felicitatem.

(139) De metrica Hariana pluribus agere, quam auctor fecit, 463. r.
ejuſque aut hiſtoriam aut leges copioſius promere, non opus eſt, cum utrumque in noſtra fecerit Germania Chriſtianus Weiſius, programmate anno 1740. ſcripto, cui titulus, *ſyſtema pſalmorum metricum a Franciſco Hare nuper adornatum.* Simile quid plures tentârunt, ſed nec eorum hiſtoria digna libro, qui totus guſtus eſt et elegantiæ, non eruditæ et jejunæ diſputationis: in cujus fine cum Hardtio aliquo ſolicite contendere indecorum, שמעו זאת הזקנים ita canente

Schĭmūŭūŭ ſōt băskēnĭīĭīm̄.

Drey
Psalmen Davids
in
deutschen Versen
nachgeahmt.

Vorbericht.

Diese Uebersetzung dreyer Psalmen Davids ist nicht aus einen Vorsatz, sondern durch einen ungefaehren Besuch der Muse entstanden, da ihre poetische Schoenheit, oder die Wichtigkeit ihres Inhalts, unter Erklaerung derselben mein Gemueth ruehrete. Waere dieses nicht, so wuerde der achtzehnte gewiss mit unter ihnen erscheinen. Allein es ist gefaehrlich, dichten zu wollen, wenn man nicht gleichsam dazu gezwungen ist.

Nach D. Luthers Uebersetzung habe ich mich gar nicht gerichtet, sondern blos nach dem Grundtext, den ich wenige Stunden vorher in einem Collegio erklaert, und wol zugleich dessen poetische Schoenheiten gezeiget hatte. Ohne viele Bemuehung musste demnach die Uebersetzung dem gleich werden, was ich fuer die richtige Leseart und Verstand des hebraeischen Textes halte: von meinen Meinungen aber den Grund anzugeben, gehoert hieher nicht. Ich hoffe, diese Abweichung von der deutschen Bibel werde

nicht fuer einen Fehler ausgegeben werden: wenigstens muessen die Psalmen, als Gedichte, sehr verlieren, wenn man sie nach der deutschen Bibel und nicht nach dem Grundtext beurtheilt, und wer bey der Uebersetzung in deutsche Verse mit den Zweck hat, ihr Poetisches deutschen Lesern darzulegen, der wuerde vermuthlich wohl thun, sie gar nicht in der deutschen Bibel zu lesen. Diese hat zwar wirklich vor den meisten uebrigen Verdollmaetschungen viel zum voraus: allein doch genug Fehler begangen, um die poetische Schoenheit der Psalmen zu verdunkeln: und ueber das hat ihr Deutsches manches veralterte, und noch mehr Hebraeisches an sich, so jetzt weiter nicht als auf der Canzel gebraeuchlich ist. Dis kann in Kirchenliedern geduldet werden, nicht aber in Gedichten: gemeiniglich aber haengt es den Dichtern an, die sie bey poetischen Uebersetzungen vor sich haben.

Der zweite Psalm.

Der Dichter.

Was jauchzt der Bund verschworner wilder
Voelker
Mit tobendem Geschrey? sprich, welcher Sieg
Macht sie so kuehn? was bruellen sie Verachtung
Und Trotz dem Himmel zu? Die Koenige
Seh' ich vereinigt stehn, mit ihren Fuersten
Gehn sie zu Rathe, wider dich, Jehova,
Und ihn, den das unwandelbahre Schicksaal
Zum Koenige bestimmt, den du gesalbt hast.
Zerreisst das harte Band des Ewigen,
Und traget nicht mit schmaeligem Gehorsam
Des neuen Koenigs Joch!—So sprechen sie.
Doch der im Himmel sitzt lacht allzuruhig
Vom heitern Trohn; sein fuerchterlicher Blitz
Fuellt ungebraucht die schrecklichen Gewoelber
Der Rathe an, wo groesste Thorheit nichts
Als Spott verdient. Er spricht in seinem Zorn
Ein Wort, genug, die Feinde zu vertilgen,
Er flucht, so flicht vom Aufgang bis zum West,
Was gegen ihn die morschen Waffen regte.

Gott.

Ich hab' ihn doch zum Koenige gesalbt!
Er bleibts! vergeblich raset stolze Ohnmacht
Der schwachen Sterblichen.

Der Gesalbte.

Hoert das Gesetz
Des Hoechsten, sein unwiderruflich Wort
An mich; hoerts ihr an mich verschenkte Welten:
Du bist mein Sohn, nicht wie die Goettersoehne,
Vor deren Stab das Volk der Erde bebt,
Nicht wie die Koenige, von mir gesetz,
Mein sterblich Bild, das Erde war, und wieder
Zur Erde wird. Dich hab ich selbst gezeugt,
Und rief unsterblich aus des Grabes Staube
Dich wider. Fordre dreist, was nur dein Mund
Zu bitten wuenscht, diz werd ich keinen Sieg,
Kein Glueck, kein Reich, das du begehrst, versagen,
Vom Thor des Morgens bis zum stillen Bette
Der Sonnen.

Der Dichter.

O! so widersetz euch nicht,
Ihr Koenige, dient gern, wo Widerstand
Vergeblich ist. Gehorsam sey euch Weisheit,
Und unter das, was jenes ewge Buch
Unwandelbar gemacht, den stolzen Scheitel
Zu beugen, eur Verstand. Wenn wider den,
Den doch sein Blitz unueberwindlich macht,
Ihr schwache Waffen tragt, so bebt am Rande
Des Untergangs, noch frueh genug zur Reue:
Fahrt zitternd auf, und lasst ein unnuetz Schwerdt,
Noch rein aus ohnmachtsvollen Haenden sinken.

Kuesst seinen Sohn, zur Fussbank, hingestreckt,
Zur majestaetschen Fussbank, die er heiligt,
Und huldigt ihm, dem alles huldgen muss.
Reitzt nicht den Grimm, der eines Sohnes Ehre
Nicht ungerochen laesst, und eh' ihrs denkt
Entbrennen wird, sobald vollkommne Suende,
Der Rache wuerdig scheint. O selig der,
Wen denn sein Scepter schuetzt, sein Altar decket!

Der achte Psalm.

Erhabner, den das Lied der fernsten Himmel ehrt,
Wie praechtig glaenzt dein Ruhm auf Erden!
Wohin sich dieses Auge kehrt,
Lebt alles auf, und will von dir gespraechig werden:
Dich nennet Feld und Wald, der Abgrund braust dir
Lieder,
Der starre Fels hoert es, und giebts verdoppelt wie-
der.

Du bist, du lebst gewiss; wer wollte dis nicht
sehn?
Dein unversoehnter Feind schliesst zwar die blinden
Augen
Vor deinen Werken zu: doch die an Bruesten sau-
gen,
Erschuettern ihn; die Wahrheit wird bestehn,
Wenn sie das Kind in schwacher Einfalt lallet.
Den Schmuck der Redner braucht sie nicht:
Da, wo die Predigt der Natur erschallet,
Starrt heimlich doch, wer laute widerspricht.

Herr, wenn ich deines Himmels Groesse,
Dis Wunder meiner Augen messe,
Wenn ich in jener heilgen Hoehe
Den Mond, den du gemacht, und tausend Sonnen
sehe;

Was ist mir denn der Mensch! wie unermesslich
klein!
Ists moeglich, denk ich oft, dass er, der Herr der
Himmel,
Den armen Staub bedenkt, und dass von dem Ge-
tuemmel
Unzaehlger Welten, denen er gebeut,
Doch zunerstreut,
Und ungetheilt sein Blick ihm kan gewidmet seyn?

Fast hast du ihn den Goettern gleich gemacht,
Nur dass er in dem kurzen Leben
Beduerftger ist, als sie; er schmeckt den Saft der
Reben,
Er isst, er schlaeft, er stirbt! Allein mit welcher
Pracht
Kroenst du sein sterblich Haupt! mit wie viel Wa-
cher giebst
Du das, was er vermisst, dem Erdstaub, den du
liebst,
An deiner Aehnlichkeit, an Goetter-gleichem Rhum!
Du setzest ihn zum Herrn in deinem Eigenthum:
Dem ihm verwandten Volk der Erden
Befiehlt dein herrschrisch Wort, ihm unterthan zu
werden.
Ihn traegt das edle Pferd, und von Natur sonst
frey,
Wirds stolz auf Herrendienst, und prangt mit Scla-
verey:

Die Heerden decken ihm die Wiesen,
Der Ochse pfluegeet ihm, ihm kleidet sich das Schaf
In Unschuld, ihm geniesst das Lastthier seinen Schlaf,
Ihm wacht der geitzge Hund. Auch das Geschlecht der Riesen
Im Sande Libyens, der praechtge Elephant,
Und sein noch staerkrer Feind, hat sich nicht selbst gekannt,
Theils dients, theils fuerchtets ihn. List sey es, oder Macht,
So hat sie ihm das Reich der Wueste doch gebracht,
Den tiefen Wald besiegt, der ihm mit Schrecken draeute,
Den Loewen hingelegt, des Fusssteig er sonst scheute.
Dis ist noch nicht genug; zum Hohne der Natur
Lehrt deine Weisheit ihn der Wolken gaehe Spur:
Das freye Volk der Luft wird bald sein Unterthan,
Und Meere ueberfliegt sein Schiff, vorhin ein Kahn,
Die Fische dienen ihm; Delphin und Wasserschlange
Erkennt den Untergott; schon wird dem Unthier bange,
Das sich im Nil verbirgt; das Meer entdeckt den Schoofs,

Dem neuen Herrn, die tiefe Bahn der Fluthen
Laesst ihm unzaehlge Opfer bluten.
Erhabner Gott, du bist in allen Werken gross,
Im wunderzarten Wurm, im unermessnen Stern,
Im starren Stein, im Lenz, von dem die Wueste
gruenet,
Im ungeheuren Volk der Erde, das uns dienet,
Im schwaecheru Staub, vergoettert ihm zum Herrn.

Der zwey und vierzigste Psalm.

So wie der Hirsch zum Hermon lechzend steigt,
Vom duerren Thal zu frischen reinen Quellen,
So schwingt mein Herz, vom groessten Gram gebeugt,
Sich, Gott, zu dir, wo klare Baeche schwellen,
Wo du mich labst. Zu Gott, zum wahren Gott,
Treibt mich mein Durst, zu ihm lechzt mein Verlangen:
Von seiner Wohnung fern, der Feinde Spott,
Wend' ich zu ihm, er sieht betraehnte Wangen.
Wann werd ich doch in seinen Tempel gehn,
Wo Gottesdienst mein Innerstes entzuecket!
Wann werd ich froh vor seinem Altar stehn,
Versoehnt, erhoert, vom Opferwein erquicket!
Mein Leiden waere leicht, wenn nicht der Spott
Als wie ein Schwerdt mein Innerstes verletzte,
Da jeder Feind mich fragt: wo ist dein Gott?
Gott! ach mein Gott! an dem ich mich ergoetzte,
Gott, an dich denk ich stets, ihr grausam Wort
Ruehrt unertraeglich mir die rohe Wunde.
Zu wohl weiss ich, was mir dein Tempel dort
Von Wohllust gab, die dreymahl selge Stunde
Steht allzu neu vor meinen Augen da,
In welcher ich zu Salem meine Leyer
Dir ruehrete, und deiner Wohnung nah
Aus dem Palast, bey Pauken Schall und Feyer,

Gedraengt vom Volk, in buergerlichen Tanz
Mit eingemischt, die reinste Freude schmeckte,
Was fuehlt' ich da, wenn sich der Crone Glanz
In alter Unschuld freye Lust versteckte!
Hemme doch der Thraenen Lauf,
Mein bekuemmertes Gemuethe,
Hebe zu des Hoechsten Guete
Augen voller Hoffnung auf,
Denn sein Blick
Schafft das Glueck.
Gott, alles das, was in mir weinen kann,
Das alles weint, und das zerfliesst in Thraenen.
Mein weinend Auge blicket himmel an,
Und jeder Blickt scheint mir das zu erwaehnen,
Was ich verlohr. Hier, wo der Jordan quillt,
Wo ewger Winter von des Hermons Spitze
Mit nie erschoepftem Schnee sein Ufer fuellt,
Wo zwischen Frost und trockner Mittags-Hitze
Noch dieser flache Berg den gruenen Schoos
Vor mich gestreckt, wo von gestuerzten Baechen
Rauch schaeumend Meer entsteht, wo trueb und gross
Die Wasserfaelle Klag und Schreckene sprechen,
Das Meilen weit durch grause Waelder schallt,
Vom Echo widerhohlt, wo schwarzre Wellen
Mein sinkend Haupt mit moerdrischer Gewalt
In ihren Strudel ziehn, und taeglich schwellen,
Von diesem Ebenbilde meiner Noth
Denk' ich an den, der sonst mein Fels gewesen,

Das fluegelreiche Glueck hat sein Gebot,
Um mich zu seyn, im ewgen Buch gelesen,
Und eilet mir am weissen Tage zu:
Die Nacht will ich mir durch ein Lied versingen.
Mein laut Gebet bricht ihre stille Ruh,
Des Fittige sich zu den Sternen schwingen,
Zum Gott, der mir dis Leben noch erhaelt.
Ihm, meinem Fels, klag ich den reichen Kummer:
Gott, wie, vergisst dein Auge, das die Welt
Durch schaut, den Freund? und bleibt beschwert mit
Schlummer,
Wenn ich in schwarzer Tracht, der Feinde Spott,
Von Sohn und Volk gedraenget, vor dir weine?
Ihr laut und taeglich Wort: wo ist dein Gott!
Durch schneidet mir die bebenden Gebeine.
Hemme nur der Thraenen Lauf
Mein bekuemmertes Gemuethe!
Hebe zu des Hoechstens Guete
Augen voll von Hoffnung auf,
Denn sein Blick
Schafft das Glueck.

EPIMETRORUM ARGUMENTA.

EPIMETRON AD PRÆLECT. IX.

DE IMAGINIBUS EX FABULA POETICA.

Fabulæ Hebraicæ Græcarum Latinarumque fimillimæ. Earum communis fons Ægyptus. Exempla: Sol mari immerfus, nocturno ibi hofpitio exceptus, amoribufque etiam per noctem indulgens; aurora alata; volucris Jovis currus, tonantefque equi; fæculum aureum, infulæ beatorum, inferorumque flumina. Pag. 71—90.

EPIMETRON AD PRÆLECT. XIX.

DE USU HUJUS PARALLELISMI HERMENEUTICO.

Probatur hic ufus exemplis ex Psalm. xxii. 31. xxv. 3. cxxxix. 20. cxlvii. 9. Jes. xxvi. 14. xlvii. 11. xlix. 6. et 16. petitis. Pag. 114—122.

EPIMETRON AD PRÆLECT. XXVII.

EXPLICATIO PERPETUA PSALMORUM XXIX. ET LXVIII.

Pag. 148—163.

EPIMETRON AD PRÆLECT. XXXII.

DISPUTATUR, UTRUM JOBI CARMEN FABULAM CONTINEAT, AN HISTORIAM? ITEM DE POEMATIS ANTIQUITATE, SCOPO, ARGUMENTO. ANALYSIS LIBRI.

Pag. 180—226.

INDEX LOCORUM

UTRIUSQUE TESTAMENTI,

QUI IN HOC LIBRO CITANTUR, EXPLICANTUR, ILLUSTRANTUR.

INDEX LOCORUM

UTRIUSQUE TESTAMENTI,

QUI IN HOC LIBRO CITANTUR, EXPLICANTUR, ILLUSTRANTUR.

FINIS.